De temporis inter verbi finiti et participii aoristi actionem aequalitate.

Cum apud poetas tragicos Graecorum eiusdem temporis esse actionem et quae participio aoristi exprimatur et quae verbo finito indicetur ostendere mihi proposuerim, primum de participio universo pauca memorabo, deinde de aoristi tempore et de singulis participii temporibus copiosius agam.

De participio universo.

Participio hoc est commune cum verbo, ut condicionem sive qualitatem verbi notionis variam varia temporum ratione exprimat et activi, passivi mediique formas habeat; accedit, quod participium eandem quam verbum casus rectionem retinet et cum adverbio modali *ἄν* coniungi potest. Adiectiva autem quae inest participio natura eo apparet, quod et communem cum adiectivo formam habet et substantivo alicui attributi instar adiungitur[1]). Medium igitur locum tenet inter verbum et nomen (adiectivum), quare suo iure adiectivum verbale appellari potest. Idem fere sibi vult Graecorum vocabulum *μετοχή*, cum veteres grammatici ita interpretentur: *Λέξις μετέχουσα τῆς τῶν ῥημάτων καὶ τῆς τῶν ὀνομάτων ἰδιότητος.*

[1]) Kühner, ausführl. Gramm. der gr. Sprache, Hannover 1869—72 (§ 471).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De aoristi tempore universo.

Habet enim hoc lingua Graeca, quod aliis deest plerisque (nisi quod Romanicae et hae quidem solo indicativo et Slavicae [1]) eadem temporis forma utuntur), ut, cum proprii temporis aoristi indicativo ceterisque formis contraria et diversa ab imperfecto, plusquamperfecto perfectoque significentur, subtilissime omnia in syntaxi distinguere et illustrare possit [2]).

Et veteres quidem grammatici [3]) omnes fere aoristo non nisi praeterita significari volunt. Curtius [4]) autem hac aetate novam interpretandi tempora rationem primus instituisse recte mihi videtur, quare eum sequar. Docet enim haec fere, si singularum formarum vim distinxeris, magnum documentum existere praeteritum tempus nulla alia re significari posse nisi augmento iisque temporibus et modis, ubi augmentum adhibetur, id est imperfecti, plusquamperfecti, aoristi indicativo. Esse igitur distinguendum inter temporis gradum et temporis condicionem, vel ut vult Kühnerus inter temporis sphaeram et actionis qualitatem. Atque Kühnerus quidem [5]) aoristi indicativo nihil nisi solam temporis sphaeram, id est actionem tempore loquentis praeterisse, exprimi vult (non recte, ut mihi quidem videtur; cum enim ceteris modis et infinitivo participioque qualis sit actio significetur, quid impedit, quominus eadem qualititatis notio etiam indicativo tribuatur?), Curtius autem, cum temporis condicionem interpretatur, ut praesente tempore actionem durantem, perfecto usque ad finem peractam, ita aoristo puncti instar incidentem significari arbitratur; temporis gradus

---

[1]) Pfuhl, Bedeutung des Aoristus, Progr. des Vitzthum. Gymnas., Dresden 1867 (pag. 14).

[2]) Kühner, ausführl. Gramm. (§ 380, 2 sq.).

[3]) Fecht, de gr. aoristi significatione, diss. inaug., Berol. MDCCCXLIV.

[4]) Curtius, Erläuterungen zu m. gr. Schulgramm., Prag 1876 (pag. 179 sq.).

[5]) Kühner, ausführl. Gramm., § 386, 1.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

autem docet praesentem, futurum, praeteritum. Itaque velut ἔγραψα nihil aliud sibi vult nisi scribendi actionem incidisse, in quo nihil refert, utrum ea permaneat an sit perfecta. Sed nunc agam

De participii temporibus.

Sphaera vel gradus temporalis (praesens, praeteritus, futurus) singulorum temporum participiis significatur nullus; aliud enim ne futuri quidem participio exprimitur nisi actionem aliquam esse eam quae se explicatura sit. Participio igitur qualis sit actio significatur quaeque ad verbum finitum relatio intercedat. Potest enim ad verbum finitum actio aut durans aut perducta ad finem aut se explicatura referri, ad quam quidem condicionem significandam aut participium praesentis temporis aut perfecti aut futuri adhibetur. Gradus autem temporalis qui dicitur manat ex rerum conexu, quo participium et verbum finitum usurpata sunt.

Cum autem ut supra dixi praeterita non ipso aoristo — neque enim est haec vis ac natura aoristi — sed augmento exprimantur, sequitur, ut quibus aoristi formis augmentum deest eae etiam praeteriti temporis significatione careant. Praeterita igitur nec ceteris modis nec infinitivo nec participio aoristi (per se ipsius) indicantur, sed solum quae instar puncti incidunt. Quamquam quae incidunt etiam praesentis temporis participio exprimi possunt; sed inest quaedam perpetuitas et explicatio actionis. Quod nisi quis adiungere vult, participio aoristi necesse est utatur; nam perfecto tempore non nisi quae usque ad finem perducta, futuro autem quae se explicatura sit actio significatur [1]). Ex his omnibus si quis concludat participio aoristi solum quae (eodem quo verbum finitum tempore) incidunt, non quae inciderunt exprimi, non recte concluserit. Nam omnium saepissime participio aoristi significantur, quae

[1]) Curtius, Erläut. zu m. gr. Schulgramm. pag. 189.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

inciderunt vel praeterierunt actione verbi finiti incidente. Sed non est haec vis participii, sed existit ex ipso orationis contextu; quae enim participio secundaria actio exprimitur ea esse solet, quae ante primariam actionem facta sit, vel ut ait Curtius[1]) ex natura aoristi et participii quaestio solvitur. Itaque participio aoristi significari potest res secundaria, quae

aut eodem quo actio primaria tempore instar puncti incidit nulla alia admista sententia

aut uno quasi puncto praeteriit ceterisque durat atque permanet

aut plane praeteriit.

Quamquam hanc praeteritae et durantis rei notionem non in vi participii aoristi positam esse, sed ex cogitatione loquentis vel narrantis manare iterum admoneo. De hoc tertio usu participii aoristi cum omnes fere grammatici, qui in scholarum usum scripserunt, exceptis perpaucis veluti Kochio[2]) ita inter se consentiant, ut primum illum usum veram huius participii temporis vim continentem aut silentio transeant aut omnino negent, me de praeteritae actionis significatione agere opus non erit. De eo autem aoristi participiorum genere, ubi si ita dicere licet primum actionis punctum praeteriit, cetera momenta cum primaria actione verbo finito expressa durare cogitandum est, perquam breviter agam idque paucis locis perstringam atque illustrabo. Quo facto eos locos, qui in poetarum tragicorum operibus mihi occurrerunt, enumerabo et quantum opus erit pertractabo, ubi actio primaria verbo finito expressa et secundaria participio aoristi indicata in idem tempus incidunt. At nunc quidem singula exemplorum genera definiam atque describam.

---

[1]) Curtius, Erläut. zu m. gr. Schulgramm. pag. 189.

[2]) Koch Ernst, griech. Schulgramm., 9. Aufl., Leipzig 1882 (§ 101, A. 1 u. 2).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

A. Agitur de iis participiis aoristi, quorum primum punctum praeteriit, cetera autem momenta permanent actione principali incidente.

a. Participia ab iis verbis formata, quorum praesenti tempori status cuiusdam significatio inest, vimque temporalem continentia.

Ab eorum igitur verborum participiis ordior, quorum praesenti tempore praesens rei status significatur, in quibus optime vis propria participii aoristi apparet eisque ei ipsi [1]), qui huius temporis participio praeteritam actionem significari velint, incidentem rem concedunt exprimi. Cuius usus ut notissimi satis erit pauca exempla memorasse.

[2]) Aesch. Pers. 759: *ἄρξας ἔθηκε πᾶσιν εἰρήνην φίλοις·*, cuius participii etiam in soluto sermone usus frequentissimus est exemplumque illud in compendiis grammaticorum adhibetur. Hoc loco dicit Darius: „Beatus vir erat Cyrus; rex (factus) pacem dedit..“. Dubium non est, quin res secundaria (*ἄρξας*) ante actionem primariam (*ἔθηκε*) inciderit; non minus autem perspicuum participium cum verbo finito durare. Sed (ut durandi ita) praeteriti notio deest participio aoristi, quo res non nisi simpliciter incidens significatur — nam haec est aoristi stirpis condicio —. Quod si res participio expressa prius inciderit, facile ex orationis contextu cognoscitur. Quare nostra lingua non verterim „nachdem er Herrscher geworden“, sed „in seiner Eigenschaft als Herrscher“.

Aesch. Pers. 691. *ὅμως δ' ἐκείνοις ἐνδυναστεύσας ἐγὼ ἥκω· . . . .*, ubi Darius narrat, cum ab inferis haud facile

---

[1]) Krüger, griech. Sprachlehre, 2. Teil, Berlin 1873 (§ 56, 10 u. 53, 5, 2).

[1]) Madvig, Syntax der gr. Sprache, Braunschweig 1847 (§ 183 n. 111, d).

[2]) in versibus numerandis G. Dindorfium, poetarum scenic. Graec. fabulae, edit. V., Lipsiae MDCCCLXIX, secutus sum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quisquam impetrare soleat, ut ad lucem revertatur, se tamen superiorem discessisse et adesse . . . —

Eur. Andr. 735. *νῦν δ' ἐχθρὰ ποιεῖ· τὴν δ' ἐπεξελθεῖν θέλω*
στρατηλατήσας χὐποχείριον λαβεῖν. ,

quod nonnulli putant de semel facto solum usurpari participium aoristi, non recte se habet; nam etiam praesentis participium adhibetur, si auctores actionem participialem durantem exprimere volunt; conferas quaeso ex permultis locis:

Aesch. Eum. 689. *σκηνάς θ', ὅτ' ἦλθον Θησέως κατὰ φθόνον*
στρατηλατοῦσαι, . . .

Quin etiam, ut progrediar, uni praesentis participio alterum eiusdem generis opponitur aoristo tempore velut Eur. Hel. 393:

πλεῖστον γὰρ οἶμαι, καὶ τόδ' οὐ κόμπῳ λέγω,
στράτευμα κώπῃ διορίσαι Τροίαν ἔπι
τύραννος, οὐδὲν πρὸς βίαν στρατηλατῶν,
ἑκοῦσι δ' ἄρξας Ἑλλάδος νεανίαις. ,

ex eiusmodi locis equidem concluserim saepe ex uno poetae arbitrio pendere, utram (durantem aut simpliciter incidentem) participii condicionem eligat, sive quod forma magis placet sive quod participii actionem magis illustrare vult.

Aesch. Eum. 921. *ᾗτ' ἐγὼ κατεύχομαι,*
θεσπίσασα πρευμενῶς
ἐπισσύτους βίου τύχας ὀνησίμους
γαίας ἐξαμβρόσαι
φαιδρὸν ἁλίου σέλας., cui

(urbi, i. e. Athenis), ait Eumenidum chorus, precor benevole vaticinans . . . Etiam hoc loco participio non praeterita actio exprimitur; neque enim quod chorus vaticinatur antecedit, sed subsequitur. Hoc et sequenti loco participium effectivam vim habet.

Soph. Ai. 207 dicitur de Aiace:

κεῖται χειμῶνι νοσήσας.

Eur. Hec. 542. *ὅπλοις ἁπαντῶν ἢ νοσησάσης χθονός*; verbum finitum (*διώλεσεν*) facile ex praecedente versu sup-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

pletur. Quaerit autem hoc loco Hercules ex Megara, utrum Lycus . . . interfecerit armis obviam iens an aegrotante terra. Aoristi participium in posteriore membro adhibitum esse equidem puto ad rem huic participio subiectam magis illustrandam. Est enim quod ex versu 543 (στάσει) efficitur haec secundaria res vere cum verbo finito coniuncta.

Sed timeo, ne benevolentia legentium hunc libellum fatigetur. Enumeravi satis nota, ne quid opusculo ad perfectionem deesset. Restat, ut Rieckheri [1]) sententiam diluam, qui ne huiusmodi quidem verborum aoristo actionem exprimi incidentem concedit, sed huius temporis vim atque naturam esse quam vocat momentaneam contendit. At ille quidem non interpretatur verbis quam unius momenti actionem intellegat; sed cum duranti actioni opponat momentaneam, rem (sive re vera sive cogitatione) celeriter transeuntem intellegere videtur, in quem errorem Pfuhlius [2]) incidit. Nam hic quidem „momentaneum" nomen interpretatus dicit haec fere: nonnullae actiones ea brevitate sunt, ut uno temporis momento perficiantur itaque omnino explicari non possint. Curtius [3]) autem et aoristum universum et duo eius genera praeclarissime definit illustratque imagine lineae et puncti. Lineam enim interpretatur actionem durantem et se explicantem (tempus praesens et imperfectum). Utque puncti nulla extenuatio sit, ita per aoristum nullam actionis explicationem significari. Primo autem puncto lineae respondere aoristum ingressivum (quem Kruegerus vocat inchoativum) [4]), cui contraria sit, si ita dicere licet, duratio velut ἄρχειν et ἄρξαι. Finali autem lineae puncto oppositos esse apparatus actionis velut ἄγειν (i. e. trahendo abducere) et ἀγαγεῖν (i. e. vero abducere). Hoc alterum aoristi genus nominat aoristum

[1]) Rieckher, über Part. des gr. Aorists, Progr., Heilbronn, 1. Teil 1852 (pag. 18); 2. Teil 1853 (pag. 24).

[2]) Pfuhl, Bedeutung des Aoristus, Progr., Dresden 1867 (pag. 12).

[3]) Curtius, Erläut. (pag. 184 sq.).

[4]) Krüger, gr. Sprachlehre, 5. Aufl. (§ 53, 5, 1).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

effectivum (Kruegerus [1]), ut ipsius verbis utar, „concentrierte Erscheinung"). Sed haec quae non omittenda mihi videbantur hactenus! Jam ad Rieckherum redeo. Dicit hic enim (pag. 24 libri II) *βασιλεύειν* non solum significare regem esse, sed etiam regem fieri; cuius verbi posterior vis cum maxime propria sit aoristi, causam non esse, quod actionem incidentem, sed quod momentaneam aoristus exprimat. Ille igitur cum primum dicat *βασιλεύειν* etiam significare regem fieri, esto; immo vero adicio etiam *φονεύειν* significare occisorem fieri et *τίκτειν* matrem fieri (cfr. Eur. Bacch. 2) — quamquam ipse Riekherus perraro hanc significationem praesenti tempori inesse concedit. Quin etiam si saepius quam revera haec verba ita usurpata invenirentur, cui rei testimonio hoc esset? Magnum est enim discrimen inter *βασιλεύειν*, quod significat regem (in singulis actionis momentis) fieri eique admixtum inhaeret per aliquod temporis spatium regem esse — et inter *βασιλεῦσαι*, qua forma nihil aliud exprimitur nisi uno aliquo temporis momento regiam dignitatem accipere (neglecta permanendi notione). Eadem autem ratio existit inter participium *βασιλεύων* et *βασιλεύσας*. Cum autem Rieckherus pergat obtinere, si hoc potissimum aoristo significetur, ut aliquid incidat, non inde petendam esse causam, quod aoristo actio incidens, sed quod momentanea significetur, nullum ille quidem argumentum adhibuit. Equidem autem opposuerim etiam maximae diuturnitatis actionem aoristo tempore exprimi, dummodo ne durans seque explicans significetur, sed ut singula momenta in unum punctum contrahantur et uno quasi oculorum intuitu aspiciantur. Et invicem nullius fere extenuationis (i. e. momentaneam) actionem imperfecto expressam legimus, si durantem et se explicantem scriptor eam significare vult [2]). Quem ad usum et imperfecti et aoristi temporis probandum

[1]) Krüger, § 53, 6.

[2]) cfr. Delff, gr. Aorist in s. Verhältnis zu übrig. Zeitform., Itzehoe 1851 (pag. 11, 21, 22).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

paucos locos e variis scriptoribus petitos afferre mihi licitum sit.

Eur. Hec. 231. *κἀγὼ γὰρ οὐκ ἔθνησκον οὗ μ' ἐχρῆν θανεῖν,*
οὐδ' ὤλεσέν με Ζεὺς, . . .

Hom. Od. V, 94. *αὐτὰρ ὁ πῖνε καὶ ἦσθε διάκτορος Ἀργειφόντης.*

Thuc. IV, 1. *ἦρξαν τριήκοντα ἔτεα.*

Paus. IX, 6, 1. *συνεχῶς δέκα ἔτεσιν ἐπολέμησαν.*

Quare suo iure Curtius [1]) dicit, sive imperfecto *ἐποίει* sive aoristo *ἐποίησεν* operi subscriberet, non artificis retulisse, quantum temporis impendisset, sed ut aut se esse operis auctorem aut laborem operamque significaret.

Sed iam ad aliud verborum genus transeo.

b. Participia aoristi a verbis animi derivata, pleraque causali vi instructa.

Ipso hoc participiorum genere res secundaria significatur, quae cum primaria actio incidit primo quidem puncto praeteriit, ceteris autem momentis durans cogitanda est. Atque aoristi quidem participio poetae tragici, quantum equidem invenerim, saepius quam praesentis usi sunt; quod non est mirandum, cum plerisque locis actionem exprimere incidentem sufficiat. Cuius participiorum generis pauca exempla gravioraque memorasse satis erit.

Aesch. Pers. 824. . . . *μηδέ τις*
ὑπερφρονήσας τὸν παρόντα δαίμονα
ἄλλων ἐρασθεὶς ὄλβον ἐκχέῃ μέγαν.

Haec participia non coordinatione coniuncta sunt, sed *ἐρασθεὶς* subiunctum illi illius causam addit. Utrumque autem participium aoristo qui dicitur ingressivo adnumerandum esse puto. Quamquam haud raro fieri ipse ait Curtius [2]), ut duo aoristi genera certo accurateque discerni nequeant neque quidquam nisi temporis punctum monstretur nulla alius actionis habita ratione. Quare benevolus is qui leget

[1]) Curtius, Erläut., pag. 181 u. 182.
[2]) Curtius, Erläut., pag. 186.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

hoc opusculum, si unum alterumve exemplum non suo loco allatum esse putet, mihi ignoscat. Sed iam pergam.

Aesch. Pers. 351. *τίνες κατῆρξαν, πότερον Ἕλληνες, μάχης,*
ἢ παῖς ἐμός, πλήθει καταυχήσας νεῶν;
ibid. Suppl. 529. *ἄλευσον ἀνδρῶν ὕβριν εὖ στυγήσας·*
Similiter *φοβηθεὶς* Prom. 1003 et
Sept. adv. Th. 476; *ἀτιμάσαντες* Pr. 207
et Suppl. 645 (*ἀτιμώσαντες*) etc.
Eur. Iph. A. 77. *Μενέλαον· ὁ δὲ καθ' Ἑλλάδ' οἰστρήσας δρόμῳ*
ὅρκους παλαιοὺς Τυνδάρεω μαρτύρεται,
ubi *οἰστρήσας* intransitivam vim habet „furorem capiens, furibundus".
ibid. 1524. *ὦ πότνια πότνια, θύμασι βροτησίοις*
χαρεῖσα πέμψον . . . .,
χαρεῖσα significat „gaudium capiens", non „gaudens", quod praesentis participium *χαίρουσα* sibi vult. Quodsi nonnulli velut Pfuhlius (pag. 50, § 20, 1.) de semel facto solum aoristi temporis participium adhiberi contendunt, iam supra refutavi.
Soph. Ant. 148. *ἦλδε Νίκα . . . ἀντιχαρεῖσα,*
his duobus locis participium causali vi non praeditum esse me non fugit. Tamen alterum alteri opposui, quod Nauckius participio *ἀντιχαρεῖσα* (etsi non temporis aoristi causa) offenditur.

His igitur omnibus participiis, quibus similia multa addere poteram, quin inchoativa vel ingressiva quam vocant vis aoristi insit, nemo erit qui dubitet. Ceterum illud adiungam, in quo effectivam quam dicunt aoristi vim Krichauffius[1]) solam haud dubie apud Sophoclem existere contendit; est enim participium *οἰκτείρας*. At est illa vis ingressiva:
Soph. OR. 1473 . . *καί μ' ἐποικτείρας Κρέων*
ἔπεμψέ μοι τὰ φίλτατ' ἐκγόνοιν ἐμοῖν;

[1]) Krichauff Ernest., quaestiones de part. apud Soph. usu, Kiliae 1878 (pag. 68).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

et haec:

Soph. Trach. 1031, quam idem effectivam interpretatur,

. . . ἰὼ παῖ,

τὸν φύτορ᾽ οἰκτείρας ἀνεπίφθονον εἴρυσον ἔγχος,

„misericordiam capiens", non „captus misericordia"; item indicativi ᾤκτειρα Eur. Iph. A. 478.

Soph. Phil. 309. προσέδοσαν οἰκτείραντες,

participii vis biceps mihi videtur. Contra effectivus aoristus est:

Soph. El. 1200. ἴσθ᾽ ἐποικτείρας et

Aesch. Ag. 1240. οἰκτείρας ἐρεῖς.

Item ἐχθήρας Soph. Phil. 59 effectivus aoristus est. — Sed haec hactenus!

Jam ad tertium verborum genus transeo, quae ipsa pari modo adhibentur, pleraque causali vi praedita.

c) Participia aoristi ex iis verbis petita, quibus aut aliqua sensuum cognitio aut sententia iudiciumque significatur. Est enim ipso in hoc verborum genere et primaria et participialis actio eiusdem temporis, nisi quod primum participii momentum iam ante actionem verbi finiti incidit. Pauca exempla illustrando huic usui sufficiant, ut:

Aesch. Pr. 758. ἥδοι᾽ ἄν, οἶμαι, τήνδ᾽ ἰδοῦσα συμφοράν.,

gauderes (Jo) aspiciens illam calamitatem (i. e. Jovem e regno depulsum).

Aesch. Suppl. 78. ἀλλὰ θεοὶ γενέται, κλύετ᾽ εὖ τὸ δίκαιον [ἰδόντες,

„aspicientes illud iustum", non „videntes" (iusta vel iustum).

Eur. Iph. A. 644. ὡς οὐ βλέπεις ἕκηλον, ἄσμενός μ᾽ ἰδών.,

non tranquille me intueris libens oculos in me iaciens, dicit Iphigenia patri.

Similiter Eur. Cycl. 183 (ἰδοῦσα),

Aesch. Pers. 802 (βλέψαντα).

Eur. Bacch. 657. κείνου δ᾽ ἀκούσας πρῶτα τοὺς λόγους μάθε,

„aures praebens", non „audiens".

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quin omnia haec participia aoristi usurpata sint de certa una re vel ut dici solet de semel facto, dubitari nequit. At non est haec causa, cur poetae aoristo tempore utantur. Nam etiam de re semel facta praesentis participia adhibentur ad res iis expressas durantes cum actione primaria significandas. Quem ad usum conferantur ex permultis locis:

Soph. OC. 288. . . . · *ὅταν δ' ὁ κύριος*
παρῇ τις, ὑμῶν ὅστις ἐστὶν ἡγεμὼν,
τότ' εἰσακούων πάντ' ἐπιστήσει · . .

Eur. Iph. A. 1607. . . . *τὸ πρᾶγμ' ὁρῶν λέγω ·*

Aesch. Eum. 483. *φόνων δικαστὰς ὁρκίους αἱρουμένη*
δεσμὸν τὸν εἰς ἅπαντ' ἐγὼ θήσω χρόνον,

Aesch. Ag. 441. *φίλοισι πέμπει βραχὺ*
ψῆγμα δυσδάκρυτον ἀντήνορος σπουδοῦ γεμίζων
λέβητας εὐθέτους.

Praeterea conferas locos pag. 6. Sed iam progrediar.

Aesch. Choeph. 538. *πέμπει τ' ἔπειτα τάσδε κηδείους χοὰς*
ἄκος τομαῖον ἐλπίσασα πημάτων.,

spem hauriens hanc libationem remedium fore dolorum (dictum de Clytaemnestra).

Eur. Med. 1171. *καί τις γεραιὰ προσπόλων δόξασά που*
ἢ Πανὸς ὀργὰς ἤ τινὸς θεῶν μολεῖν,
ἀνωλόλυξε, . . .

Eur. Med. 882. *ταῦτ' ἐννοήσασ' ᾐσθόμην ἀβουλίαν,*

forma activa, quam nonnulli velut Dindorfius in passivam (*ἐννοηθεῖσ'*) mutant, retinenda est, quod in codice V. tradita est, et Weckleinius eandem formam animadvertit adhibitam a

Sophocle, Trach. 578. *τοῦτ' ἐννοήσασ' . .*

Soph. OC. 636. *ἁγὼ σεβισθεὶς οὔποτ' ἐκβαλῶ χάριν.*

Soph. Ant. 1042. *οὐδ' ὡς μίασμα τοῦτο μὴ τρέσας ἐγὼ*
θάπτειν παρήσω κεῖνον · . .

(Aesch. Eum. 426. . . *ἤ τινος τρέων κότον* [sc. *ἠξιώσατο*;]).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Eodem modo etiam verba clamitandi, lamentandi, lacrimandi, alia usurpantur; conferantur ex multis locis:

Soph. OR. 1260. *δεινὸν δ' ἀΰσας ὡς ὑφηγητοῦ τινος*
πύλαις διπλαῖς ἐνήλατ', . .

ibid. 1265. *ὅπως ὁρᾷ νιν, δεινὰ βρυχηθεὶς τάλας,*
χαλᾷ κρεμαστὴν ἀρτάνην . . .

(Soph. Trach. 804. *ἐκέλσαμεν . . . βρυχόμενον,*
Ai. 322 item).

Aesch. Pr. 175. *πτήξας τόδ' ἐγὼ καταμηνύσω,*
(ibid. 29. *ὑποπτήσσων . . . ὤπασας*).

Satis notum est illud: *δακρύσας, γελάσας.* —

B. Tractatur is aoristi participii usus, quo actio et quae verbo finito exprimitur et quae participio subiecta est, in idem tempus concidunt. Quae huc spectant participia, eo ab antecedentibus discrepant, quod in eis effectiva quam vocat Curtius vis aoristi existere videtur.

a. Participia a variis verbis, quorum non communis ratio est, formata nihil nisi rem secundariam arcte cum primaria actione conexam continentia.

Quem participii usum his exemplis illustrabo:

Soph. OC. 1211. *ὅστις τοῦ πλέονος μέρους*
χρήζει, τοῦ μετρίου παρεὶς
ζώειν, σκαιοσύναν φυλάσ-
σων ἐν ἐμοὶ κατάδηλος ἔσται.,

ubi chorus dicit: qui longioris vivendi partis cupidus est, modicae neglegens, (stultus est).

Hoc mihi quidem loco participio non tam causa actionis verbi finiti (*χρήζει*) contineri videtur quam res secundaria cum illa actione arctissime coniuncta ex eaque proficiscens (conferas Aesch. Pr. 825, pag. 14 u. 15.). In quo genere nostrates actionem actioni parem opponunt, velut:

Wer nach längerer Dauer des Lebens verlangt,
die mittelmässige aber verachtet, . . .

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quo significare volunt actionem verbi finiti et participii in idem tempus concidere.

Aesch. Ag. 788. *πολλοὶ δὲ βροτῶν τὸ δοκεῖν εἶναι*
προτίουσι δίκην παραβάντες.

Eur. Phoen. 749. *τάξω λοχαγοὺς πρὸς πύλαισιν, ὡς λέγεις,*
ἴσους ἴσοισι πολεμίοισιν ἀντιθείς.

Eur. Or. 233. *ἦ καπὶ γαίας ἁρμόσαι πόδας θέλεις*
χρόνιον ἴχνος θείς; . . .

Mihi quidem his participiis non videtur significari aliquid, quod ante actionem verbi finiti incidisse cogitari debet. Ambae actiones uno temporis momento perficiuntur atque concidunt.

Eur. Iph. A. 543. *μάκαρες οἳ μετρίας θεοῦ μετά τε σωφρο-*
[σύνας μετ-
έσχον λέκτρων Ἀφροδίτας,
γαληνείᾳ χρησάμενοι μαινομένων οἴστρων, . .

Eur. Herc. 67 . . . *κἄμ' ἔδωκε παιδὶ σῷ,*
ἐπίσημον εὐνὴν Ἡρακλεῖ συνοικίσας.

Quod sequitur exemplum ab antecedentibus eo discrepat, quod participium absoluta structura adhibitum est:

Aesch. Sept. adv. Th. 489. *ἅλω δὲ πολλὴν, ἀσπίδος κύκλον λέγω,*
ἔφριξα δινήσαντος . . .,

pertimui, narrat nuntius, Hippomedonte clipeum quatiente. Subiectum (*αὐτοῦ*) facile suppletur. Praesentis autem participium reperitur Suppl. 608:

ἔφριξεν αἰθὴρ τόνδε κραινόντων λόγον,

quod sententiarum collectio non in unum punctum collata est, sed explicatio duratioque actionis fingitur. Item quod legitur:

Aesch. Eum. 968. *κραινομένων γάνυμαι.* —

Quodsi supra (pag. 13 ad Soph. OC. 1211) dixi participio non causam verbi finiti contineri, haec mea sententia firmatur iis locis, quos iam laudabo. Nam si his participiis finis consiliumque verbi finiti inesset, non aoristi, sed futuri tempus usurpatum esset.

Aesch. Pr. 825. *ἃ πρὶν μολεῖν δεῦρ' ἐκμεμόχθηκεν φράσω,*
τεκμήριον τοῖτ' αὐτὸ δοὺς μύθων ἐμῶν.,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quae adhuc (Jo) perpessa est, narrabo argumentum sermonis mei id ipsum dans (daturus).

Eur. Troad. 359., ubi Cassandra de Agamemnone loquitur ad matrem versa:

κτενῶ γὰρ αὐτὸν κἀπιπορθήσω δόμους
ποινὰς ἀδελφῶν καὶ πατρὸς λαβοῦσ' ἐμοῦ.

Huic simile est, quod legitur Soph. OC. 90.

σεμνῶν ἕδραν λάβοιμι καὶ ξενόστασιν,
ἐνταῦθα κάμψειν τὸν ταλαίπωρον βίον,
κέρδη μὲν οἰκήσαντα τοῖς δεδεγμένοις,

participii tempus, quo Nauckius offenditur, nullam praebet difficultatem. Futurum (*οἰκήσοντα*), quod libri deteriores habent, recipiendum non est.

Aesch. Ag. 1277. *βωμοῦ πατρῴου δ' ἀντ' ἐπίξηνον μένει,*
θερμῷ κοπείσης φοινίῳ προςφάγματι.,

recte huic loco adnotat Naegelsbachius [1]): „aoristus hoc loco vere positus est *ἀορίστως*".

Aesch. Choeph. 584. *τὰ δ' ἄλλα τούτῳ δεῦρ' ἐποπτεῦσαι λέγω,*
ξιφηφόρους ἀγῶνας ὀρθώσαντί μοι.,

nulla causa est, cur Pearsonus aoristum *ὀρθώσαντι* mutet in formam futuram *ὀρθώσοντι*.

Eadem ratio est:

Eur. Hec. 711, ubi participium aoristo tempori verbi finiti appositum reperitur:

ἵν' ὁ γέρων πατὴρ ἔθετό νιν κρύψας.,

pater dedit (Polydorum) celans (celaturus).

Ex eiusmodi locis, ubi participium aoristi ad vim participii futuri accedit, apparet non temporis gradum, sed solam temporis condicionem sive qualitatem participiis significari. Aoristi igitur participium effectiva quae vocatur vi praeditum nihil aliud exprimit nisi ultimum punctum seu praesentis seu praeteritae seu futurae actionis. —

---

[1]) Aeschylus' Agam. aus Naegelsbach's Nachlass, herausgeg. von Fr. List, Erlangen 1863 (pag. 189).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Locus antecedentibus similis est:

Aesch. Ag. 1275. *καί νῦν ὁ μάντις μάντιν ἐκπράξας ἐμὲ,*
ἀπήγαγ' ἐς τοιάσδε θανασίμους τύχας.,

et nunc quidem, dicit Cassandra, vates vatem me conficiens (confecturus) . . deduxit. —

Non alienum videtur, priusquam ad nova exempla transeo, pauca de hoc universo genere praemittere. Cum enim lingua Graeca copia participiorum abundet, aliquam actionem minus gravem secundariamque ad primariam actionem gravioremque participiis referre potest. Neque vero unquam participio actionem aut ea quae non minoris momenti quam actio verbo finito expressa indicari equidem Krichauffio[1]) assentior. Quare ii, qui si participio aoristi prior actio quam actio verbi finiti exprimi non potest coordinatione, id est particula *καὶ* et verbo finito id interpretantur, non recte vertunt. Nos enim, qui non aequa copia participiorum abundamus, non ita accurate ab actione primaria distinguere solemus, Graeci autem ad aliquam rem secundariam significandam participia ponunt ob eamque causam *φιλομέτοχοι*, id est participiorum amantes appellantur. Sed iam hoc exemplis illustrabo.

Ac primum quidem repeto locum, quem iam (pag. 16) laudavi, i. e.

Aesch. Ag. 1275. *καὶ νῦν ὁ μάντις μάντιν ἐκπράξας ἐμὲ*
ἀπήγαγ' ἐς τοιάσδε θανασίμους τύχας.

Rectissime se habet, quod Naegelsbachius[2]) ad versus his antecedentes adnotat: „ipsa vis sententiae postulat, ut derisa vates esse dicatur non ab hostibus aut inimicis (hoc enim plurimis accidit neque mirabile quidquam habet), sed a suis, qui inimicum animum gessissent; h. e. *φίλων ὑπ' ἐχθρῶν*". Huic (quam in patria perpessa est, iniuriae) opponit Cas-

[1]) Krichauff, quaest. de part. ap. Soph. usu (pag. 86).

[2]) Aeschylus' Agam. aus Naegelsbach's Nachlass, herausgeg. von Fr. List, Erlangen 1863 (vers. 1271 sq.).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

sandra: et nunc quidem (Apollo) vates vatem me deduxit in hanc mortiferam calamitatem . . . Summa igitur posita est in verbo finito *ἀπήγαγ'*, participio autem nihil continetur nisi res secundaria, quam arctissime cum verbo finito coniunctam esse indeque manare Cassandra vaticinio praedita scit. Quare non probo, sed miror eundem Naegelsbachium ad versum 1275 dicere: „solve participium in *ἐξέπραξεν καὶ ἤγαγεν*, quod alterum verbum adiectum est ad *ἐκπράξας* quasi per epexegesim.“ —

Eur. Phoen. 1505. *ἃ δόμον Οἰδιπόδα πρόπαν ὤλεσε,*
τᾶς ἀγρίας ὅτε
δυσξίνετον ξυνετὸς μέλος ἔγνω
Σφιγγὸς ἀοιδοῦ σῶμα φονεύσας.,

quae (Furia) totam domum perdidit, cum solveret Oedipus aenigma . . . Parum diligenter qui inspicit hunc locum expectet *ὅτε γνοὺς ἐφόνευσε*, at subtilius intuenti dubium esse non potest, quin primaria actio non in caede sphingis, sed in aenigmatis solutione posita sit. Quo soluto illam sphingem emori necesse erat. Participio igitur secundaria actio arctissime cum verbo finito conexa ex eoque proficiscens significatur. —

Eur. El. 983. O. R: *ἀλλ' ἦ τὸν αὐτὸν τῇδ' ὑποστήσω δόλον;*
HL: *ᾧ καὶ πόσιν καθεῖλες Αἴγισθον κτανών.*

Hic quoque primo obtutu putari potest actionem primariam participio, secundariam verbo finito contineri. Qui autem accuratius cernet, verbo finito primariam indicari videbit. Animi pendens enim, utrum matrem occidat necne, tandem Orestes verbis Electrae movetur consiliumque matricidii capit sororemque, easdemne quas Aegistho insidias paret matri, interrogat; quibus verbis confestim exceptis illa pergit: easdem tu vero, quibus Aegisthum decepisti; sententiaque secundaria est illud *κτανών*, arcte cum primaria actione, quae significatur vocabulo *καθεῖλες*, coniunctum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Cui loco simillimus est hic:

Aesch. Choeph. 556. *ὡς ἂν δόλῳ κτείναντες ἄνδρα τίμιον*
δόλῳ τε καὶ ληφθῶσιν ἐν ταὐτῷ βρόχῳ
θανόντες, ἦ καὶ Λοξίας ἐφήμισεν,

Orestes enim ita loquitur: celanda haec sunt, ut iisdem laqueis capiantur morianturque; necesse est enim Oreste quidem iudice ex insidiis fieri necem, actioque primaria illud *ληφθῶσιν* est, sine quo caedes fieri nulla potest. Quamobrem quod Weilius mutavit illud *ληφθῶσιν θανόντες* in *ληφθέντες θάνωσι*, quem ipse Dindorfius secutus est, inutiliter mutasse videtur. —

Eur. Cycl. 182. *τὴν προδότιν, ἥ τοὺς θυλάκους τοὺς ποικίλους*
περὶ τοῖν σκελοῖν ἰδοῦσα καὶ τὸν χρύσεον
κλῳὸν φοροῦντα περὶ μέσον τὸν αὐχένα
ἐξεπτοήθη, Μενέλεων ἀνθρώπιον
λῷστον λιποῦσα . . ., ubi item principalis actio verbo finito (*ἐξεπτοήθη* i. e. sie kaum ausser sich) indicatur, participio illo *λιποῦσα* res secundaria arctissime cum illa primaria conexa indeque manans significatur. —

Huc autem pertinet etiam illud:

Aesch. Ag. 966. *ῥίζης γὰρ οὔσης φυλλὰς ἵκετ' ἐς δόμους,*
σκιὰν ὑπερτείνασα σειρίου κυνός.

Huic loco et similibus Rieckherus[1]) haec fere praemittit: tempori praeterito participium subordinatum in aoristo positum esse ob eam causam, quod is qui rem narrat participio aeque ac verbi finiti praeterito tempore praeterita exprimere sibi videtur; obversantur enim scribenti duo praeterita particula *καὶ* coniuncta; cuius igitur coordinationis loco cum ab eo subordinatio participialis struatur, non illum quidem recte struere, id est non perfecte, ut similis sit haec ratio illo primo et non perfecto generi dicendi. At mihi non verisimile videtur actionem non minus gravem ob

[1]) Rieckher, über Part. des gr. Aorist, II. Teil, Heilbronn 1853 (pag. 15).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

eamque causam coordinandam in participio poni; quae res si in prisco sermone maxime cernitur, argumentum esse videtur non hanc esse aut fuisse vim aoristi, quam Rieckherus putat, ut praeterita significentur; accedit, quod inter indicativum et ceteros modos participiumque et infinitivum interest. Ne Pfuhlius [1]) quidem, qui aoristo incidere aliquid significari omnino negat, minime miratur, si ex pluribus coniunctis verbis in narratione historico tempore relata unum ex aliqua causa vel aliquo casu loco indicativi modi cum sequente particula *καὶ* participiali constructione struatur. Hic enim in hoc participio interpretando gravissimum auctorem secutus esse sibi videtur. Godofredum Hermannum [2]) enim idem in hac re sensisse videri; probabiliter enim eum illum locum „*ποιησάμενος παρεγένετο* (Diod. Sic. II, 13) et *γενναίως ἀγωνισάμενος ἀνεῖλεν*“ (Diod. Sic. XI, 31) sic interpretatum esse: (non occidit post pugnam, sed in pugna, ergo) „*ἠγωνίσατο καὶ ἀνεῖλεν* et *ἐποιήσατο καὶ παρεγένετο*“.

At Herm. Schmidtius [3]), qui dicit aoristi vim atque naturam esse hanc, ut ipsius verbis utar, „ein Werden ohne Sein oder eine Handlung ohne einen sie begleitenden Zustand“, recte illi repugnare videtur. Argumentatur enim fere ita: Quod Godofr. Hermannus interpretatur illud *γενναίως ἀγωνισάμενος πολλοὺς ἀνεῖλε τῶν Ἑλλήνων* „non occidit post pugnam, sed in pugna, ergo *ἠγωνίσατο καὶ ἀνεῖλε*“, non existit causa, cur putemus necesse non esse, ut eis participiis aoristi exprimatur aliquid fieri aut tempus huius actionis concidere cum tempore verbi finiti. Coniunguntur enim particula *καὶ* et coexistentes et succedentes actiones idque sentire apparet Hermannum, quo participio aoristi actio eiusdem tem-

---

[1]) Pfuhl, Bedeutung des Aoristus, Progr. des Vitzthum. Gymn., Dresden 1867 (pag. 53 sq.).

[2]) Godofr. Hermann. ad Vig., Lipsiae, edit. 3., pag. 775 (224).

[3]) Herm. Schmidt, der gr. Aor. in s. Verhältnis zu übr. Zeitform., Halle 1845 (pag. 21 sq.).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

poris continetur, in verbum finitum cum particula *καὶ* mutari posse pariter atque illud, quo prius facta indicantur.

Mihi quidem Hermannus, qui hanc propriam esse vim aoristi contendit, ut rem cito transeuntem Graeci per aoristum significent[1]), de aoristi temporis participio dubitasse videtur. Paulo enim infra dicit doctus ille vir: „Difficilior quaestio est de participio (aoristi), in quo perraro ista rei subito transeuntis significatio invenitur".[1]) Et alio loco[2]) idem adnotavit: „interdum usurpatur participium sic ut non pendeat temporis indicatio ex verbo, quod adiunctum est, sed solum per se constet." Quid autem hoc sibi vult? Equidem Hermanni verba ita interpretanda esse puto plerumque pendere (aoristi) participium ex verbo (finito), i. e. significare actionem, quae prioris temporis sit; interdum autem participium sic adhiberi, ut actio significetur, quae non priore, sed eodem cum verbo finito tempore incidat. Quare nobis nostro sermone vertendum esse particula „und" et verbo finito.

Sed iam ad id, unde aberravi, redeo. Qui singulos locos a Pfuhlio (et Hermanno) adhibitos accuratius spectaverit, inveniet ne hic quidem sibi pares esse actiones verbi finiti et participii, sed primariam actionem verbo finito, secundariam, id est, quando, quibus causis vel condicionibus, quomodo, quibus auxiliis quidque factum sit, participio significari. Ut apparet in hoc exemplo (Diod. Sic. XI, 31.): participio *ἀγωνισάμενος* exprimi causam, quam ob rem actio primaria facta sit, quod fortiter pugnabat, occidit; et pariter Diod. Sic. II, 13: *ἐν τούτῳ . . . ἐνδιατρίψασα καὶ . . . ἀπολαύσασα, γῆμαι . . . οὐκ ἠθέλησεν*, cum moraretur frueretur-que . . ., nubere noluit; mox ibidem: *πορείαν ποιησαμένη, παρεγένετο*, cum iter faceret, pervenit; XI, 52: *οἱ μὲν διώξαντες . . ., ἀνεῖλον*, cum persequerentur . . ., interfecerunt, et in ceteris similia. Et pertinent eodem ea, quae Pfuhlius

---

[1]) Hermann ad Vig. pag. 773 (224).

[2]) Hermann ad Aesch. Ag. 934.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

pag. 52 adhibuit, veluti Hom. Il. B 269: *ἀχρεῖον ἰδὼν ἀπομόρξατο δάκρυ*, „imbellis hominis speciem praebens vultu“ (Doederlein, Lect. Hom. Sp. I.); item Plut. Thes. c. 14: *ἐπεδείξατο διὰ τοῦ ἄστεος ἐλάσας, εἶτα κατέθυσεν*, per urbem agens ostendit (taurum). —

Quod autem Pfuhlius sententiam suam firmari dicit (pag. 54) his duobus locis:

Xen. Anab. II, 1, 12: *ἀκούσας δὲ ταῦτα ὁ Φαλῖνος ἐγέλασε καὶ εἶπεν· ἀλλὰ φιλοσόφῳ μὲν ἔοικας . . .*, et Plat. Prot. p. 310[d]: *μῶν τί σε ἀδικεῖ Προταγόρας; καὶ ὃς γελάσας· νὴ τοὺς θεούς, ἔφη, ὦ Σώκρατες, ὅτι γε . . .*, equidem non intellego, cuius rei argumentum Pfuhlius illis locis attulisse sibi videatur. Potest enim una eademque actio etiam uni eidemque scriptori modo tam gravis videri, ut eam particula *καὶ* et verbo finito coniungat cum altera, modo tam levis, ut participio subiungat alteri. Quare verterim: Xen. Anab. II, 1, 12: *ἐγέλασε καὶ εἶπε* ita fere: in cachinnos effusus et locutus est, er brach in Lachen aus und sagte;

Plat. Prot. p. 340: ridens . . . inquit, lächelnd sprach er.

Hi (Pfuhlius et Riekherus) igitur ne concedant aoristi participio significari posse rem incidentem eodem tempore quo verbi finiti actionem, ad coordinationem actionum confugerunt. Quorum sententiam satis diluisse mihi videor. Itaque iam pergam similes locos apud poetas tragicos enumerare.

Eur. Phoen. 1405. . . . *ξυμβαλόντε δ' ἀσπίδας*
πολὺν ταραγμὸν ἀμφιβάντ' εἶχον μάχης. ,

hic quoque apparet participii (*ἀμφιβάντ'*) actionem non priorem esse quam pugnandi strepitum, ut praesentis participium eo magis exspectaveris, quod iterata actio cogitatur. Sed satis habet poeta aoristo actionem significasse incidentem; iterationem, quae deest aoristo, cogitando is qui legit assequi potest.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Apud Sophoclem unum, qui huc spectat, locum inveni; is est Trach. 1025:

τᾷδε με τᾷδε με πρόσλαβε κουφίσας. ,

ubi moriens Hercules ex filio petit, ut manu apprehendat; participio res secundaria exprimitur arctissime cum verbo finito conexa ex eoque manans. —

Minoris momenti est, quod legitur ibidem 1228:

πιθοῦ· τὸ γάρ τοι μεγάλα πιστεύσαντ' ἐμοὶ
σμικροῖς ἀπιστεῖν τὴν πάρος συγχεῖ χάριν. ,

quocum conferatur Soph. O. C. 1211. —

Aesch. Eum. 622. *Ζεὺς, ὡς λέγεις σὺ, τόνδε χρησμὸν ὤπασεν,*
φράζειν Ὀρέστῃ τῷδε, τὸν πατρὸς φόνον
πράξαντα μητρὸς μηδαμοῦ τιμὰς νέμειν. ,

oraculi dictum constat ex his duabus partibus: *φόνον πατρὸς πράσσειν, μητρὸς μηδαμοῦ τιμὰς νέμειν*, sed hoc loco, quo Orestes causam dicit de matricidio, una tantum verbo finito (*νέμειν*) exprimitur, altera participio (*πράξαντα*) significatur.

Aesch. Pers. 161. . . . *ἐς δ' ὑμᾶς ἐρῶ*
μῦθον, οὐδαμῶς ἐμαυτῆς οὖσ' ἀδείμαντος, φίλοι,
μὴ μέγας πλοῦτος κονίσας οὖδας ἀντρέψῃ ποδὶ
ὄλβον, . . . ubi Heimsoethius, quem Dindorfius secutus est, recte meo iudicio mutavit in *δαίμων* vocabulum *πλοῦτος*.

Eur. Or. 987. *οἳ κατεῖδον ἄτας,*
Πέλοψ ὁπότε πελάγεσι διεδίφρευσε, Μυρτίλου φόνον
δικὼν ἐς οἶδμα πόντου,

(genitores), qui calamitates viderunt, cum Pelops fluctibus adveheretur iaciens (iacturus) occisum Myrtilum . . . Hoc loco, quem iam supra afferre potui, primo intuitu exspectaverimus *ὁπότε διαδιφρεύσας ἔδικε.* At etiam hic primaria actio posita est in verbo finito *διεδίφρευσε*, quod intellegendum est de Pelopis cum Oenomao certamine; caedes Myrtili est secundaria res arctissime cum illo certamine coniuncta indeque proficiscens. —

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Eur. Suppl. 918. *ἰὼ τέκνον, δυστυχῆ σ᾽*
ἔτρεφον, ἔφερον ὑφ᾽ ἥπατος
πόνους ἐνεγκοῦσ᾽ ἐν ὠδῖσι· . .

participii res ex primaria actione (*ἔφερον ὑφ᾽ ἥπατος*) sequitur cum eaque coniuncta est. —

Eur. Herc. 506. *ὡς ἐλπίδας μὲν ὁ χρόνος οὐκ ἐπίσταται*
σώζειν, τὸ δ᾽ αὑτοῦ σπουδάσας διέπτατο.,

aoristus verbi finiti est qui vocatur gnomicus; item in sequentibus exemplis:

Eur. Or. 341. *ἀνὰ δὲ λαῖφος ὥς τις ἀκάτου θοᾶς τινάξας*
κατέκλυσεν δεινῶν πόνων, . . . [*δαίμων*

praepositio (*ἀνὰ*) in tmesi apud Euripidem saepius invenitur; (conferas Kuehner, ausführl. Gramm. § 445, 6 u. 7.). —

Eur. Phoen. 651. *κισσὸς ὃν περιστεφὴς*
ἕλικος εὐθὺς ἔτι βρέφος
χλωροφόροισιν ἔρνεσιν
κατασκίοισιν ὀλβίσας ἐνώτισεν,

quem (Bacchum) iam puerum hedera amplexa est praedicans. . . . Participio contineri secundariam rem arcte cohaerentem cum actione verbi finiti facile intellegitur. —

Quoniam ex his locis satis apparet participio aoristi non priorem actionem significari neque eam, quae eiusdem momenti et gravitatis sit quam actio verbo finito expressa, transeo ad aliud genus participiorum. —

b. Participia aoristi modali vi instructa. Participium aoristi verbo finito additum est significandi causa, quomodo quid factum sit eoque res secundaria cum actione primaria exprimitur. Illa ut simpliciter incidens fingatur, aoristus adhibetur, ut durans cum verbo finito praesens. Quo genere ei ipsi, qui participio aoristi actionem prioris temporis exprimi solere volunt, idem tempus signi-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ficari concedunt veluti Kruegerus[1]) et Madvigius[2]). Errant tamen, ut opinor, doctissimi hi viri, ille quod dicit, ut ipsius verbis utar: „einem Aorist beigefügt“ . . , hic: „bei einem Hauptverbum im Aorist oder historischen Praesens, so dass an der Handlung des Particips . . . die Vergangenheit bezeichnet wird“.

Nam temporis gradus participio significatur nullus ob eamque causam cum quolibet verbi finiti tempore participia coniungi possunt. Sed iam singulos locos, quibus hunc usum participii aoristi illustrabo, afferam.

Eur. Bacch. 88. *ὅν ποτ᾽ ἔχουσ᾽ ἐν ὠδίνων λοχίαις ἀνάγκαισι πτα-*
μένας Διὸς βροντᾶς
νηδύος ἔκβολον μάτηρ ἔτεκεν, λιποῦσ᾽ αἰῶνα κε-
ραυνίῳ πλαγᾷ· , quem (Dionysum) mater peperit vita excedens. Primaria actio posita est in verbo finito (*ἔτεκεν*); ex ipsa enim hac fabula apparet fuisse eos, qui Bacchum Jovis (et Semelae) filium esse negarent; participio autem nihil continetur nisi res secundaria, quae cum verbo finito coniuncta erat. Itaque non recte faciunt, qui participium particula *καὶ* interpretari volunt:

ἐτεκε καὶ ἔλιπεν. —

Aesch. Suppl. 867. *εἰ γὰρ δυσπαλάμως ὄλοιο*
δι᾽ ἁλίρρυτον ἅλσος,
κατὰ Σαρπηδόνιον χῶμα πολύψαμμον ἀλαθεὶς
εὐρείαις ἐν αὔραις.

Aesch. Ag. 785. . . . *πῶς σε σεβίζω*
μήθ᾽ ὑπεράρας μήθ᾽ ὑποκάμψας
καιρὸν χάριτος; quomodo te honorabo nec minore nec maiore honore prosequens (prosecutus)?

Aesch. Choeph. 614. *Σκύλλαν, ἅτ᾽ ἐχθρῶν ὑπαὶ φῶτ᾽ ἀπώ-*
[λεσεν φίλον
Κρητικοῖς
χρυσοκμήτοισιν ὅρμοις πιθήσασα δώροισι Μίνω ,

[1]) Krüger, griech. Sprachlehre, 2. Teil, Berlin 1873 (§ 53, 6, 8).
[2]) Madvig, Syntax der gr. Sprache, Braunschweig 1847 (§ 183 A. 2.).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Νῖσον ἀθανάτας τριχὸς νοσφίσασ' ἀπροβούλως
πνέονθ' ἁ κυνόφρων ὕπνῳ . . .

Scyllam, quae . . . maritum necavit ea ratione, ut a crinibus eum seiungeret (i. e. crines detonderet).

Eur. Andr. 1204. *ὦ φίλος, δόμον ἔλειπες ἔρημον,*
[ὤμοι μοι, ταλαίπωρον ἐμὲ]
γέροντ' ἄπαιδα νοσφίσας. ,

ubi Peleus lamentatur: desertam reliquisti domum, cum removeres . . .

Hartungius vult *ἔλειπες ἐν δόμοις μ' ἔρημον* ,

Dindorfius *ἔλειπες ἐν δόμῳ μ' ἔρημον.*

Mihi quidem *νοσφίσας* genetivum desiderare videtur. —

Eur. Phoen. 503. *ἐγὼ γὰρ οὐδὲν, μῆτερ, ἀποκρύψας ἐρῶ.* ,

loquar nihil celans. —

Aesch. Ag. 921. *μηδ' εἵμασι στρώσασ' ἐπίφθονον πόρον*
τίθει· . . . , ne mihi invisam viam reddideris sternendo.

Aesch. Pers. 297. *ταχθεὶς ἄνανδρον τάξιν ἠρήμου θανών.* ,

ubi Atossa ex nuntio quaerit, qui dux morte aciem vacuam reliquerit. —

Soph. Ant. 421. . . *μύσαντες δ' εἴχομεν θείαν νόσον.* ,

„divinitus immissam pestem" (Wecklein, Antig.) ferebamus coniventes, dicit custos narrans, quid ipse et socii fecissent, ut procellam sustinerent. Quae iteratio participio praesentis exprimi solet, hic neglecta et omissa est.

Soph. Ai. 452. , ubi de vecordia Aiacis dicitur:

ἔσφηλεν ἐμβαλοῦσα λυσσώδη νόσον,

ibid. 51. *ἐγώ σφ' ἀπείργω, δυσφόρους ἐπ' ὄμμασι*
γνώμας βαλοῖσα, . . .

praesens hic est quod vocatur historicum.

ibid. 1164. *ἀλλ' ὡς δύνασαι, Τεῦκρε, ταχύνας*
σπεῦσον κοίλην κάπετόν τιν' ἰδεῖν,

ubi *ταχύνας* adverbii loco usurpatum est; eodem modo:

Soph. O. R. 861. *πέμψω ταχύνασ'* . . .

ibid. 1073. *τί ποτε βέβηκεν, Οἰδίπους, ὑπ' ἀγρίας*
ἄξασα λύπης ἡ γυνή; . . . ,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ubi chorus quaerit: quid, Oedipe, mulier abiit ex acri dolore festinans?

Eur. Or. 1169. . . *ὃν οὐ καταισχυνῶ*
δοῦλον παρασχὼν θάνατου, . .

quem (Agamemnonem) non foedabo servitii mortem patiens.

Eur. Jon. 1555. *ἐπώνυμος δὲ σῆς ἀφικόμην χθονὸς,*
Παλλὰς, σπεύσασ' Ἀπόλλωνος πάρα,

Eur. Hel. 507. *κρύψας ἐμαυτὸν εἶμι πρὸς ναυάγια,*

ubi Badhamus *κρύψας* mutat in *κρύψων*, sed non recte, ut mihi videtur. Sententia enim non haec est: ad fractas naves ibo, ut me occultem, um mich zu verbergen, sed: ibo ita, ut nemo me videat. Quod ita est intellegendum, ut, si diuturnitatem occultandi exprimere voluisset, participio praesentis uti poeta debuerit; sed diuturnitate reiecta satis habet aoristi participio incidentem actionem significasse singulaque momenta in unum idque ultimum punctum contulisse. —

Sed ex multis locis, qui huc pertinent, ii quos enumeravi sufficiant. Jam ab eis exemplis, ubi quomodo vel qua ratione actio verbi finiti facta sit significatur, transeo ad eos locos, ubi quibus auxiliis vel quo instrumento quid peractum sit participio aoristi adiungitur.

c. Participia aoristi vi instrumentali instructa. Cui participiorum generi hoc praemittendum esse mihi videtur ita saepe hoc genus cum superiore confundi, ut dubium sit, utrum instrumentum an modus exponatur eique ipsi[1]), qui praeteritam i. e. priorem actionem participio aoristi significari solere velint, his duobus generibus vim incidentis i. e. eiusdem temporis actionis concedant. Quem participii usum his locis illustrabo:

Aesch. Pr. 496. *κνίσῃ τε κῶλα συγκαλυπτὰ καὶ μακρὰν*
ὀσφῦν πυρώσας δυστέκμαρτον ἐς τέχνην
ὤδωσα θνητοὺς, . . .

[1]) Vergl. Krüger, § 53, 6, 8 und Madvig, § 183, A. 2.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

incendens . . . perduxi ad artem, dictum a Prometheo. Dubitari nequit, quin in idem tempus duae actiones concidant.

Aesch. Ag. 176. τεύξεται φρενῶν τὸ πᾶν,
τὸν φρονεῖν βροτοὺς ὁδώσαντα, (τῷ) πάθει μάθος
θέντα κυρίως ἔχειν . ,

(Jovem), qui sapere mortales docuit, cum hanc legem sanciret, ut doctrina usu (parta) valeret. Nondum sanatus est locus; offendit enim τῷ. Quodsi Hermannus vult τῷ, neque mutatio est neque dissentit a re; at quominus assentiar illa formula prohibeor, quae (πάθος μάθος) ita constat, ut non alterutrum vocabulum patiatur articulum. —

Aesch. Pr. 848. , ubi Prometheus futuram sortem Jovi praenuntiat:

ἐνταῦθα δή σε Ζεὺς τίθησιν ἔμφρονα
ἐπαφῶν ἀταρβεῖ χειρὶ καὶ θιγὼν μόνον . ,

ibi Juppiter te mente sanam efficiet manu placida contrectans atque attingens tantum. Praesentis participio ἐπαφῶν poetam usum esse propter similitudinem nominis Epaphi, qui Jovis et Jus filius erat, Weckleinius recte commemorat. Elmsleius versum 849 spurium seclusit; at mihi non alienus esse hic versus a re videtur. —

Aesch. Ag. 849. ὅτῳ δὲ καὶ δεῖ φαρμάκων παιωνίων,
ἤτοι κέαντες ἢ τεμόντες εὐφρόνως
πειρασόμεσθα πήματος τρέψαι νόσον . ,

si remedia opus sunt, conabimur urendo vel secando morbum calamitatemque levare. Eo minus hic participia aoristi exspectantur, quod subest iteratio; sed participio aoristi aliquid simpliciter incidens indicatur, iterationem actionis is qui legit cogitando facile assequitur. —

Eur. Troad. 1040; ibi Menelaus Hecubae mortem minitans dicit:

πόνους τ' Ἀχαιῶν ἀπόδος ἐν μικρῷ μακροὺς
θανοῦς', ἵν' εἰδῇς μὴ καταισχύνειν ἐμέ.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Eur. Or. 655. *ἀπότισον οὖν μοι ταὐτὸ τοῦτ' ἐκεῖ λαβὼν*
μίαν πονήσας ἡμέραν ἡμῶν ὕπερ
σωτήριος στὰς, μὴ δέκ' ἐκπλήσας ἔτη . ,
quae officia tibi pater meus praestitit, remunerare unum diem laborans, non decem annos explens; participium *στὰς* subiunctum est participio *πονήσας*. Verborum ordinem Nauckius mutare vult: *σωτήριος στὰς, ἡμέραν ἡμῶν ὕπερ μίαν πονήσας*, sed transpositio meo iudicio non desideratur.

Eur. Or. 1220. . . . *γέγωνέ τ' ἐς δόμους,*
ἢ σανίδα παίσασ' ἢ λόγους πέμψασ' ἔσω . ,
signum da seu pulsando seu vocando.

ibid. 924. . . . *ὃς ἠθέλησε τιμωρεῖν πατρὶ*
κακὴν γυναῖκα κἄθεον κατακτανὼν,

Eur. Hel. 1127. . . . *εἷλ' Ἀχαιῶν*
μονόκωπος ἀνὴρ, πέτραις
Καφηρίαις ἐμβαλὼν
Αἰγαίαις τ' ἐναλίοις ἀκταῖς
δόλιον ἀστέρα λάμψας. ,
Graecorum multos cepit pelliciens ad saxa . . ., cum per dolum incenderet lumen. Participium *λάμψας* est subiunctum participio *ἐμβαλὼν* et efficitur lumine naufragium, naufragio autem captio. Verborum ordo *ἀκταῖς δόλιον*, qui codice c traditur, magis sensui respondere mihi videtur quam transpositio Hermanni (*δόλιον ἀκταῖς*), quem Dindorfius secutus est. —

Soph. Ant. 464, . *πῶς ὅδ' οὐχὶ κατθανὼν κέρδος φέρει*; quomodo hic morte non lucrificiat? (praesentis participium reperitur multis locis veluti: Ant. 547: *ἀρκέσω θνήσκουσ' ἐγώ*, et aliis). —

In sequentibus exemplis instrumentalis vis minus elucet, et participia superiori generi valde appropinquant:

Soph. Ant. 1314. *ποίῳ δὲ καπελύσατ' ἐν φοναῖς τρόπῳ;*
παίσασ' ὑφ' ἧπαρ αὐτόχειρ αὑτὴν ,

Soph. O. R. 1510. *ξύννευσον, ὦ γενναῖε, σῇ ψαύσας χερί* .

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Soph. Phil. 1398. *ἃ δ' ἤνεσας μοι δεξιᾶς ἐμῆς θιγὼν* .
Instrumentalis autem vis cernitur:

Soph. Phil. 931. *ἀπεστέρηκας τὸν βίον τὰ τόξ' ἑλών* . —

Sed quoniam ex his exemplis satis apparet non prioris temporis quam actionem verbi finiti esse eam, quae participio aoristi exprimatur, iam ad aliud participiorum genus progredior. —

d. Participia aoristi significant, qua in re actio verbi finiti potissimum videatur.

Hoc participiorum genus ei, quod modo tractavi, simile est, eo tamen ab omnibus prioribus discrepat, quod verbum finitum et participium ad eandem actionem pertinent. Verbo finito enim res universa prehenditur, participio gravissimum momentum vel summa illius rei continetur.

Ad quem usum probandum haec exempla afferam:

Aesch. Choeph. 395. *Ζεὺς ἐπὶ χεῖρα βάλοι,*
φεῦ φεῦ, κάρανα δαΐξας;

manus iniciat Juppiter Clytaemnestrae et Aegistho eorumque capita discindat?

Latius patet, quod verbo finito continetur, angustius, quod participio indicatur. Nulla est in hoc exemplo aut prior aut praeterita actio; nam una omnino actio continetur, quae uno temporis momento perficitur vel, ut ipsius Curtii [1]) verbis utar: „auf einen Schlag vollzogen wird.“ De tmesi praepos. cfr. Kuehner, ausführl. Gramm. § 445, 5. —

Aesch. Ag. 1501. *τοῦδ' ὁ παλαιὸς δριμὺς ἀλάστωρ*
Ἀτρέως χαλεποῦ θοινατῆρος
τόνδ' ἀπέτισεν
τέλεον νεαροῖς ἐπιθύσας.

Clytaemnestra a se parricidium reicit negans se ipsam illud patravisse, sed veterem Atrei ultorem addidisse et immolavisse eum . . .

[1]) Curtius, Erläut. zu m. gr. Schulgramm. pag. 182.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Eadem actio duobus verbis indicatur; *ἀπέτισεν* totum exprimit, *ἐπιθύσας* partem illudque hoc circumscribitur et illustratur.

Referendum huc mihi videtur:

Aesch. Ag. 1054. *πιθοῦ λιποῦσα τόν δ' ἁμαξήρη θρόνον.*, ubi chorus Cassandram Clytaemnestrae oboedire currumque relinquere iubet. —

Eur. Med. 1122. *Μήδεια, φεῦγε φεῦγε, μήτε ναῦαν*
λιποῦσ' ἀπήνην μήτ' ὄχον πεδοστιβῆ.,

patrato illo scelere nuntius Medeae suadet: „neque navem tu neque currum sperne, sed quavis effugiendi occasione utere"! (Pflugk) —

Aesch. Pers. 700. . . . *δίεμαι δ' ἀντία φάσθαι,*
λέξας δύσλεκτα φίλοισιν.,

vereor coram te loqui, quippe cum nefanda amicis dicenda sint, respondet chorus Dario ex inferis reverso. —

Soph. Ant. 906. *οὔτ, εἰ πόσις μοι κατθανὼν ἐτήκετο,*
βίᾳ πολιτῶν τόνδ ἂν ᾑρόμην πόνον.

Soph. O. C. 361. *ἐγὼ τὰ μὲν παθήμαθ' ἅπαθον, πάτερ,*
ζητοῦσα τὴν σὴν ποῦ κατοικοίης τροφὴν,
παρεῖσ' ἐάσω . . .

cfr. Eur. Troad. 690: *παρεῖσ' ἐῶ.*

Praeter duo haec exempla equidem apud Sophoclem nullum repperi, quod ad hoc participii genus pertineat. —

Eur. Hipp. 683. . . . *Ζεύς σ' ὁ γεννήτωρ ἐμὸς*
πρόρριζον ἐκτρίψειεν οὐτάσας πυρὶ.,

ubi nutrici Phaedra maledicit: Juppiter te conterat igni delens. —

Simili modo Eur. Hec. 387:

. . . *ἐγὼ 'τεκον Πάριν,*
ὃς παῖδα Θέτιδος ὤλεσεν τόξοις βαλών.

Eur. Andr. 314. *κεἰ μὴ τόδ' ἐκλιποῦσ' ἐρημώσεις πέδον,*
ὅδ' ἀντὶ τοῦ σοῦ σώματος σφαγήσεται.,

Menelaus Andromachae minatur: Hunc nisi campum vacuum relinques deserens, Molottus tuo loco necabitur. Una actio

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

est et verbi finiti et participii nec prius incidit, quod participio continetur. —

Eur. Hec. 716. ὦ κατάρατ' ἀνδρῶν, ὡς διεμοιράσω
χρόα, σιδαρέῳ τεμὼν φασγάνῳ
μέλεα τοῦδε παιδὸς . .

quam tu discerpsisti necando . . ., dicit Hecuba de caede Polydori.

Huc spectant:

ibid. 1066. εἴθε μοι ὀμμάτων αἱματόεν βλέφαρον
ἀκέσαι' ἀκέσαιο τυφλὸν, Ἅλιε,
φέγγος ἐπαλλάξας . ,

utinam medearis luminibus lucem permutans. Quod conicit Weilius ἐπαλλάξας, magis ad sensum quadrare mihi videtur quam traditum ἀπαλλάξας. —

Eur. Herc. 151. τί δὴ τὸ σεμνὸν σῷ κατείργασται πόσει,
ὕδραν ἕλειον εἰ διώλεσε κτανών.

Eur. Bacch. 2. Διόνυσος, ὃν τίκτει ποθ' ἡ Κάδμου κόρη,
Σεμέλη, λοχευθεῖσ' ἀστραπηφόρῳ πυρί· ,

propter appositum ποθ' verbum τίκτει praesens historicum intellegendum est cum inchoativa vi: non, ut plerumque, matrem esse, sed matrem fieri. —

Eur. Iph. A. 1177. ἀπώλεσέν σ', ὦ τέκνον, ὁ φιτύσας πατὴρ,
αὐτός κτανὼν, οὐκ ἄλλος, οὐδ' ἄλλῃ χερὶ ,

tuus te genitor perdidit ipse interficiens. Duobus verbis una res indicatur ita, ut verbo finito res universa, participio gravissimum momentum exprimatur.

Dindorfius versus 1178—1208 seclusit spurios; at mihi quidem versus 1178 sententiae loci convenire videtur; nam cum morte filiae dolet Clytaemnestra tum quod patria manu caeditur. —

Quoniam ex eis quos attuli locis satis elucet aoristi participio non priorem actionem contineri, sed eandem quam verbo finito ob eamque causam in idem tempus incidentem, iam ad aliud participii genus progrediar. Omnibus enim

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quos adhuc memoravi locis participium appositivo quem dicunt usu cum verbo finito coniunctum est. Restat igitur, ut nonnulla genera addam, quibus aoristi participium praedicati quod vocant munere fungitur. Ac primum quidem huc refero eos locos, ubi

e. verbo finito aliquod iudicium de actione participiali affertur. His participiis aoristi non significari aliquid prius incidisse facile apparet, quoniam una omnino actio exprimitur. Quare huic participiorum generi ei ipsi, qui participio aoristi actionem prioris temporis contineri solere volunt, idem tempus significari concedunt ut Kruegerus [1]), sed hic verbi finiti aoristum praesumit, unde facile falsa opinio effici potest quadam ad verbum finitum attractione ipsum participium cum aoristo strui. Quibus vero exemplis hunc usum participii illustrabo apparebit participium aoristi non solum verbi finiti aoristum, sed quodlibet tempus sequi et non solum praeteritam rem, sed etiam incidentem eo significari.

Jam loci sequantur:

Aesch. Eum. 927. *τάδ' ἐγὼ προφρόνως τοῖσδε πολίταις*
πράσσω, μεγάλας καὶ δυσαρέστους
δαίμονας αὐτοῦ κατανασσαμένη . ,

hoc ego, ait Minerva, benevolentia ducta hisce civibus ago, ut magnas . . deas constituam. Perspicuum est praeteritam actionem participio non significari; prioris autem temporis rem participio exprimi his locis non posse iam inde elucet, quod una omnino actio duobus verbis continetur. —

Soph. O. C. 853. *δθούνεκ' αὐτὸν οὔτε νῦν καλὰ*
δρᾷς οὔτε πρόσθεν εἰργάσω βίᾳ φίλων,
ὀργῇ χάριν δοὺς, ᾗ σ' ἀεὶ λυμαίνεται. ,

αὐτὸν pro *σεαυτὸν* positum est; cfr. Matthiae § 489, II, ubi plura eiusmodi exempla afferuntur. —

[1]) Krueger, § 56, 8.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Aesch. Sept. adv. Theb. 753. . . ὅστε ματρὸς ἁγνὰν
σπείρας ἄρουραν, ἵν' ἐτράφη,
ῥίζαν αἱματόεσσαν,
ἔτλα . . . Participio σπείρας praeteritam actionem contineri ex rerum conexu apparet. —

Soph. Trach. 1250. . . . οὐ γὰρ ἄν ποτε
κακὸς φανείην σοί γε πιστεύσας, πάτερ. ,
non malus videar eo, quod tibi oboediam (id est: si pro voluntate tua Jolam uxorem duco).

Soph. Trach. 1137. χρήστ', ὦ κάκιστε, πατέρα σὸν κτείνασα [δρᾷς;
Hercules male intellegens, quae Hyllus dixit, interrogat indignatus: An honesta mater tua fecit, quod patrem tuum interfecit?

Qui ex huiusmodi locis concludat aoristi tempus etiam de conatu rei faciundae usurpari, non recte concluserit. Nam haec significatio prorsus aliena est aoristo. Caedes hoc quidem loco revera non patrata est; vivit enim Hercules, ad quem illud κτείνασ' pertinet, et ipse haec verba facit. At qui aoristo ἔκτεινα utitur, peractam esse actionem fingit; ita etiam hic Hercules caedem, quantum in Deianira erat, patratam esse cogitat[1]). —

Soph. Phil. 1382. καὶ ταῦτα λέξας οὐ καταισχύνει θεούς;

Soph. Trach. 884. . . πῶς ἐμήσατο θάνατον
ἀνύσασα μόνα; . . .

Huc spectat: Soph. Phil. 1228:
ἀπάταισιν αἰσχραῖς ἄνδρα καὶ δόλοις ἑλών . ,
ubi ex superiore versu supplendum est ἔπραξα οὐ πρέπον ἔργον. —

Eur. Or. 538. θυγάτηρ δ' ἐμὴ θανοῖσ' ἔπραξεν ἔνδικα· ,
morte filia mea iustas poenas dedit. —

Eur. Andr. 806. οἷον δέδρακεν ἔργον, Ἀνδρομάχην κτανεῖν
καὶ παῖδα βουλεύσασα, κατθανεῖν θέλει,

[1]) Delff, griech. Aorist in s. Verhältn. zu übrig. Zeitformen (pag. 19 u. 20).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quale patravit facinus eo, quod Andromachen et puerum necare meditata est, mori vult; *οἷον* = *ὅτι τοιοῦτον*, cfr. Matthiae § 480 A. 3. —

Eur. Andr. 624. *πρὸς τοῖσδε δ' εἰς ἀδελφὸν οἵ' ἐφύβρισας,*
σφάξαι κελεύσας θυγατέρ' εὐηθέστατα;

ubi Peleus in Menelaum invehitur: quam tu in Agamemnonem fratrem peccavisti eo, quod filiam eum immolare coegisti. —

Eur. Med. 1030. *ἄλλως δ' ἐμόχθουν καὶ κατεξάνθην πόνοις,*
στερρὰς ἐνεγκοῦσ' ἐν τόκοις ἀλγηδόνας. ,

ἄλλως idem sibi vult quod *μάτην*; hoc invenitur Eur. Tr. 755, ubi idem versus reperitur (Dindorf.). —

Eur. Hel. 1552. , ubi nuntius regi fugam Helenae Menelaique nuntiat:

. . . ἄρχειν γὰρ νεὼς
ξένον κελεύσας πάντα συνέχεας τάδε. ,

omnia confudisti eo, quod peregrino gubernaculum commisisti.

Eur. Iph. A. 642. *χαῖρ' · εὖ δέ μ' ἀγαγὼν πρός σ' ἐποίησας,*
[*πάτερ.*

Eur. Hec. 1175. . . *τοιάδε σπεύδων χάριν*
πέπονθα τὴν σὴν, πολέμιον τὸν σὸν κτανὼν,

Polymestor Agamemnoni persuadet a se ex illius commodo Polydorum interfectum esse: gratiam (tibi) agitans eo, quod interfeci . . . perpessus sum ista (id est iacturam luminis oculorum). Si enim Nauckii coniecturam „*πολέμιον τὸν*“ approbamus, participium *κτανὼν* ex participio *σπεύδων* pendet et obiectum *πολέμιον τὸν σὸν* concinnum fit cum obiecto *χάριν τὴν σὴν* notioque: „tuum, tua causa“ valde augetur illustraturque. Sed licentius mutavisse ille locum videtur; cum enim omnes codices *πολέμιόν τε σὸν* tradant, servandum esse puto, quippe quod tolerabiliter dictum sit. —

Non necessarie praeteritam actionem huiusmodi participiis indicari, sed etiam incidentem ex sequenti loco intellegi potest:

Eur. Or. 104. *σύ νυν χάριν μοι, τὸν φόβον λύσασα, δός.* ,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ubi Helena rogat, ut Electra gratum sibi faciat solvens metu (patrum eorum, qui apud Troiam cecederint). —

Huc pertinere videtur:

Eur. Iph. A. 1115. *τοῖς ὀνόμασιν μὲν εὖ λέγεις, τὰ δ' ἔργα σου*
οὐκ οἶδ' ὅπως χρή μ' ὀνομάσασαν εὖ λέγειν. ,

nescio quo nomine utentem recte me dicere oporteat.

Eur. Med. 876. *πόσει δ', ὃς ἡμῖν δρᾷ τὰ συμφορώτατα*
γήμας τύραννον καὶ κασιγνήτους τέκνοις
ἐμοῖς φυτεύων; ubi per ludibrium dicit Medea: marito, qui utilissima nobis facit eo, quod principem in matrimonium ducit et fratres filiis meis gignit.

Simili modo se habet:

Eur. Or. 546. *ἀνόσιός εἰμι, μητέρα κτανὼν*
ὅσιος δέ γ', ἕτερον ὄνομα, τιμωρῶν πατρί. —

Postquam igitur eorum locorum, ubi verbo finito iudicium affertur de actione participiali, quantum satis videtur, enumeravi, ne longus fiam nota referendo, iam ad aliud genus progrediar.

f. De *λανθάνω*, *φθάνω*, *τυγχάνω* aliisque similibus verbis, quae cum participio struuntur. Alterum genus participiorum cum praedicativa vi id est, ubi ipsa declaratio rei participio continetur, quam ob rem nos nostro sermone verbum finitum Graecorum adverbio transvertere solemus velut „unvermerkt, heimlich, zuvor, eben, zufällig". In quo numero est illud *ᾤχετ' ἀπιὼν* vel *μὴ λάθωμεν ἐξαπατηθέντες* vel *λάθε βιώσας*. Ut iam supra dixi, Kruegerus[1]) hunc usum participii aoristi ita circumscribit: aoristo *ἔφθασα* et *ἔλαθον* solere participium aoristi temporis adiungi. Unde facile coniectura effici potest quadam ad verbum finitum attractione ipsum participium cum aoristo strui. Latius quidem patet, sed non omni numero perfectum est, quod Madvigius[2]) docet participium

[1]) Krueger, § 53, 6, 8.
[2]) Madvig, § 183, A. 2.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

aoristo ἔλαθον et ἔφθην (vel λανθάνω et φθάνω historico praesenti) adiunctum non nisi aoristo usurpatum esse ad significandam unam momentaneam actionem. Ut autem — ille pergit — durans condicio exprimatur, praesentis participium adhiberi. Et hoc (aoristi) participium etiam tum retineri, cum aoristo verbi finiti non praeterita actio contineatur (coniunctivo, imperativo, optativo vel infinitivo) et futuri temporis indicativo.

At omnibus apud poetas tragicos exemplis illustratur: primum nulla verbi finiti temporis ratione habita horum ipsorum verborum ut omnium, quae supra enumeravi, participium alterius verbi aoristo tempore usurpari ad rem simpliciter incidentem significandam, praesenti autem participii tempore adhibito aliquid durare aut se explicare esse putandum;

deinde — quod perpaucis exceptis veluti Kochio (§ 125, 2 A. 2) omnes fere quas equidem inspexi grammaticae scholarum in usum editae plane omittunt non semper id quod nostri adverbio significant a Graecis verbo finito exprimi, sed interdum versa vice. Nam si is qui loquitur his verbis rem minoris momenti inesse exprimere et illustrare vult, participiis eorum (λαθὼν, λήθουσα . . .) utitur. Quamobrem ipsis his verbis eadem est ratio quae ceteris aliis: Primaria res exprimitur verbo finito, secundaria participio.

Quem usum his exemplis probabo:

Eur. El. 91. δάκρυά τ' ἔδωκα καὶ κόμης ἀπηρξάμην
πυρᾷ τ' ἐπέσφαξ' αἷμα μηδείου φόνου,
λαθὼν τυράννους οἳ κρατοῦσι τῆσδε γῆς. ,

ubi Orestes dicit: immolavi sanguinem latens tyrannos, qui dominantur . . .

Dubium esse non potest, quim summa sententiae posita sit in verbo finito ἐπέσφαξα, id est immolandi actio mihi contigit; participio res minoris momenti exprimitur „quod adesse me tyrannos latuit“. Sin autem Orestes dixisset

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ἐπισφάξας ἔλαθον, hoc sibi vellet: latendi actio mihi contigit, cum immolarem.

Pari modo se habet:

Eur. Hec. 617. . . εἰ δέ τις τοὺς νεωστὶ δεσπότας
λαθοῦσ' ἔχει τι κλέμμα τῶν αὑτῆς δόμων. ,

si qua possidet, quod domini non animadvertebant. Parum accurate et diligenter ii facere mihi videntur, qui dicunt λαθοῦσ' ἔχει idem significare atque λέληθεν ἔχουσα. —

Soph. Ant. 531. σὺ δ', ἣ κατ' οἴκους ὡς ἔχιδν' ὑφειμένη
λήθουσά μ' ἐξέπινες οὐδ' ἐμάνθανον.

Eur. Bacch. 840. καὶ πῶς δι' ἄστεως εἶμι Καδμείους λαθών; ubi Pentheus ex Baccho quaerit: quomodo per urbem ibo ita, ut non videar?

Aesch. Ag. 1025. εἰ δὲ μὴ τεταγμένη
μοῖρα μοῖραν ἐκ θεῶν
εἶργε μὴ πλέον φέρειν,
προφθάσασα καρδία
γλῶσσαν ἂν τάδ' ἐξέχει. ,

nisi sors (mihi) constituta cohibuisset (me), . . . animus linguam praecurrens effudisset (cfr. ad hunc locum Aeschylus Ag. aus Naegelsbach's Nachlass, Erlangen 1863.) —

Eur. Iph. T. 669. ἔφθης με μικρόν· ταῦτα δὲ φθάσας λέγεις,
πλὴν ἕν· . . .

Soph. Phil. 371. ὁ δ' εἶτ' Ὀδυσσεὺς, πλησίον γὰρ ἦν κυρῶν,
ναὶ, παῖ, δεδώκασ' ἐνδίκως οἵτοι τάδε . ,

ibi Neoptolemus armis paternis orbatum se esse questus pergit: Ulixes — nam forte aderat — locutus est: iure hi dederunt . . . Cum Neoptolemos dicit „ἦν κυρῶν", exprimere vult primariam rem positam esse in ἦν, id est aderat (et coram me liberrime locutus est); sin autem ille diceret „ἐκύρει ὤν", exprimeret: fors tulit, ut adesset (et loqueretur). — Sed haec hactenus!

Jam ad alteram componendi rationem transeo, quae multo crebrior est. Ac primum quidem nonnulla exempla

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

afferam, ubi praesentis participium ad significandam durantem actionem reperitur, deinde plura enumerabo, ubi aoristi participio actio simpliciter incidens exprimitur.

Soph. El. 1331. *ἀλλ' εἰ σταδμοῖσι τοῖσδε μὴ 'κύρουν ἐγὼ*
πάλαι φυλάσσων, ἦν ἂν ὑμῖν ἐν δόμοις
τὰ δρώμεν' ὑμῶν πρόσθεν ἢ τὰ σώματα.

ibid. 1358. *ξυνών μ' ἔληθες οὐδ' ἔφαινες, ἀλλά με*
λόγοις ἀπώλλυς, ἔργ' ἔχων ἥδιστ' ἐμοί;

Eur. Tr. 456. *οὐκέτ' ἂν φθάνοις ἂν αὔραν ἱστίοις καραδοκῶν,*

Eur. Iph. T. 245. *οὐκ ἂν φθάνοις ἂν εὐτρεπῆ ποιουμένη,*

Eur. Or. 1551. *οὐκέτ' ἂν φθάνοιτε κλῆθρα συμπεραίνοντες μοχλοῖς . . .;*

Aoristi temporis autem participium ad actionem incidentem significandam invenitur, ut ex permultis locis paucos afferam:

Eur. Med. 1169. . . . *καὶ μόλις φθάνει*
θρόνοισιν ἐμπεσοῦσα μὴ χαμαὶ πεσεῖν . ,

ubi *φθάνει* praesens historicum est;

item Soph. El. 743:

ἔπειτα λύων ἡνίαν ἀριστερὰν
κάμπτοντος ἵππου λανθάνει στήλην ἄκραν
παίσας· . . . inversis iis quae iam supra (pag. 36.) dixi facile hic intellegi potest summam sententiae in verbo finito *λανθάνει*, non in participio *παίσας* positam esse. Antea — hic est enim rerum conexus — Orestes sinistrum equum habenis cohibebat (ut columnam vitaret). Nunc autem id moliens, ut sinistrorsum habenas remitteret (eoque adversarium praeveheretur), non animadvertit se extremae metae impingere. —

Soph. El. 568. . . . *οἷ κατὰ σφαγὰς*
ἐκκομπάσας ἔπος τι τυγχάνει βαλών . ,

fors tulit, ut ederet vocem . . .

Soph. Phil. 46. *τὸν οὖν παρόντα πέμψον ἐς κατασκοπὴν,*
μὴ καὶ λάθῃ με προσπεσὼν· . . .

Eur. Hel. 1182. *ὡς ἂν πόνου γ' ἕκατι μὴ λάθῃ με γῆς*
τῆσδ' ἐκκομισθεῖσ' ἄλοχος, ἧς ἐφίεμαι . ,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ubi Weckleinius, doctissimus ille et poetarum tragicorum peritissimus vir, *λάθῃ* in *φθάνῃ* mutat, quod rei magis consentaneum videatur; at si id quod codicibus traditum est, retinemus, non a re alienum videtur: claudite portas, ne Helena me lateat et ita evadat . . .

Sed ne longus fiam, duobus exemplis de verbo *οἴχομαι* adiectis argumentum finietur.

Eur. Suppl. 1156. *λόγων δὲ παρακέλευσμα σῶν*
ἀέρι φερόμενον οἴχεται . ,
abiit hortatio aere ablata.

Eur. Iph. A. 1465. *ΚΛ. ὦ τέκνον, οἴχει; ΙΦ. καὶ πάλιν γ'*
[οὐ μὴ μόλω.
ΚΛ. λιποῦσα μητέρ'; ΙΦ. ὡς ὁρᾷς γ', οὐκ ἀξίως . ,
abis, filia? . . . matrem deserens? . . .

Hic participium aoristi ad vim participii futuri temporis accedit, sed eo ut iam supra dixi condicio qualitasve actionis participialis significatur, temporis gradus vel sphaera efficitur cum ex verbo finito tum ex rerum conexu. Participium *λιποῦσα* enim cum sit effectivus quem dicunt aoristus, singula momenta actionis in unum punctum contrahit et ut quodque participium in aoristo effectivo ultimum punctum seu praesentis seu praeteritae seu futurae actionis exprimit.

Sequuntur nonnulla exempla cum verbis *γίγνεσθαι*, *εἶναι* aliisque, non paria, sed similia superioribus, quod verbum finitum participio suppletur visque praedicativa ei inest.

Soph. Ai. 588. *καὶ θεῶν ἱκνοῦμαι, μὴ προδοὺς ἡμᾶς γένῃ* . ,
Tecmessa Aiacem obsecrat, ne se puerumque proiciat.

Soph. Phil. 772. . . . *μὴ σαυτόν θ' ἅμα*
κἄμ', ὄντα σαυτοῦ πρόστροπον, κτείνας γένῃ. —

Eur. Suppl. 30. *πρὸς τόνδε σηκὸν, ἔνθα πρῶτα φαίνεται*
φρίξας ὑπὲρ γῆς τῆσδε κάρπιμος στάχυς . ,
ubi prima spica visa est horrens ex humo . . .

Quin maioris momenti res contineatur verbo finito *φαίνεται*, haud quisquam dubitabit. Participio autem nihil

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

indicatur nisi res secundaria, quae supplet illustratque verbum finitum. Huic loco simile est, quod legitur Eur. Hel. 515, nisi quod hic poeta ad significandam durantem seque explicantem actionem praesentis participium adhibuit:

ἥκουσα τᾶς θεσπιῳδοῦ κόρας,
ἃ χρήζουσ' ἐφάνη τυράννοις
δόμοις, . . .

audivi vaticinantem virginem, quae apparuit oraculum edens . . . Non equidem assentior Dindorfio, qui praesentis participium in aoristi mutandum esse contendit. —

Soph. O. R. 1146. *οὐκ εἰς ὄλεθρον; οὐ σιωπήσας ἔσει;* —

Aesch. Choeph. 855. (*Ζεῦ Ζεῦ τί λέγω; πόθεν ἄρξωμαι*
τάδ' ἐπευχομένη κἀπιθεάζουσ',)
ὑπὸ δ' εὐνοίας
πῶς ἴσον εἰποῦσ' ἀνίσωμαι;

Ultimum tandem locum participii generis quod dicunt praedicativi memorabo, quod est apud Aesch. Suppl. 423:

μηδ' ἴδῃς μ' ἐξ ἑδρᾶν πολυθέων
ῥυσιασθεῖσαν, ὦ πᾶν κράτος ἔχων χθονός· ,

ubi chorus precatur: neve sinas me a sedibus . . . abduci . . . Quod Madvigius [1]) docet ipsius verbi *περιορᾶν* aoristo tempori participium aliquod in aoristo tempore adiungi, ut momentanea actio significetur, non omni ex parte absolute recteque se habet. Nam ut iam supra dixi ipsa momentanea actio participio praesentis exprimitur, ut eam durare et in singulis momentis particulisque se explicare scriptor significet. Itaque eadem fere sententia quae supra (Suppl. 423) praesentis participio paulo infra exprimitur; est autem hic locus ibidem 429:

μή τι τλῇς τὰν ἱκέτιν εἰσιδεῖν
ἀπὸ βρετέων βίᾳ δίκας ἀγομέναν . ,

ne tuleris videns me a simulacris (trahendo) abduci . . .

---

[1]) Madvig, Syntax der griech. Sprache, Braunschweig 1847 (§ 183, A. 2).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quibus exemplis efficitur saepissime ex uno auctoris arbitrio pendere, utrum actio durans seque explicans an simpliciter incidens fingatur praesentisque an aoristi participium adhibeatur. —

Postquam igitur eos locos enumeravi, quibus aoristi participium appositionis quam vocant loco adhibetur ad rationem adverbialem exprimendam secundariamque rem cum actione primaria arctissime coniunctam, deinde ubi participium praedicati munere fungens adhibitum est ad supplendam verbi finiti actionem, iam restat, ut de iis participiis aoristi dicam, quae attributi et substantivi loco posita sunt.

g. Participia aoristi attributiva vi praedita. Jam iis quae sequuntur hoc est commune cum superioribus, quod hic quoque participii aoristi res eodem tempore quo verbum finitum incidens significatur ita, ut non appositionis vel praedicati, sed attributi cuiusdam vim participium habeat. Quod genus nostrates ita exprimere solent[1]), ut participium substantivo postponant velut:

ἵπποι ἀκτίνεσσιν ἐοικότες ἠελίοιο,

Rosse, gleichend den Strahlen der Sonne,

vel ut participium enunciato relativo vertant veluti:

γυνή τις εἶχεν ὄρνιν . . ὠὸν τίκτουσαν,

eine Henne, welche . . ein Ei legte.

Huius usus aoristi participiorum exempla illustrissima apud poetas tragicos haec inveni:

Soph. Ai. 475. *τί γὰρ παρ' ἦμαρ ἡμέρα τέρπειν ἔχει*
προσθεῖσα κἀναθεῖσα τοῦ γε κατθανεῖν;

ibi Aiax hoc fere dicit: quid enim habet laeti dierum series, quippe qui mortalibus semper aliquid mortis aut adiciant aut adimant, id est qui mortem et afferant et differant. Quod vero Nauckius errorem suspicatur et *προσθεῖσα κἀναθεῖσ' ἀεὶ τὸ κατθανεῖν* mutat, nec invenio equidem errorem et

[1]) Kühner, ausführl. Gramm. §, 480, 1, c.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

mutatione opus non esse puto; partitivus est enim ille genetivus et ab utroque participio pendet. —

Soph. O. C. 1502. *μή τις Διὸς κεραυνὸς, ἤ τις ὀμβρία*
χάλαζ' ἐπιρράξασα; . . .

qui iterum ex vobis communis clamor sonuit? haec fere est praecedens sententia. Num, pergit Theseus, Jovis fulmen an imber irrumpens . . . (hunc clamorem edidit)? Facile ex antecedentibus vel ut rectius dicam ex intransitivo „*ἠχεῖται*" verbum transitivum suppleri potest. Sensum autem neque *ἐπέρραξεν* neque *ἐπιρράξασα τυγχάνει* esse, neque opus abruptae orationis signo rectissime Elmsleius annotat. —

Huc pertinent meo iudicio:

Soph. O. C. 1281. *τὰ πολλὰ γάρ τοι ῥήματ' ἢ τέρψαντά τι,*
ἢ δυσχεράναντ' φωνὴν τοῖς ἀφωνήτοις τινά . ,

ubi Antigone patrem adhortatur, ut loquatur; nam sermones sive laetitiam sive iram sive misericordiam moventes praebuerunt . . .

Eur. Jon 1166 . . *ἐν δ' ἄκροισι βὰς ποσὶ*
κῆρυξ ἀνεῖπε τὸν θέλοντ' ἐγχωρίων
ἐς δαῖτα χωρεῖν . . .

praeco, qui summis pedum digitis incedebat, vocavit ad cenam . . .

Eur. Or. 12. *ᾧ στέμματα ξήνασ' ἐπέκλωσεν θεὰ*
ἔριν, . . . ubi Electra in domus suae genealogia Atreum memorat: cui fila nens dea discordiam (cum Thyeste fratre) tribuit.

Eur. Med. 627. *ἔρωτες ὑπὲρ μὲν ἄγαν ἐλθόντες οὐκ εὐδοξίαν*
οὐδ' ἀρετὰν παρέδωκαν ἀνδράσιν' . .

ubi chorus temperantiam donum deorum praedicat pulcherrimum: nimium amoris viro nec virtutem nec laudem parit; *παρέδωκαν* est aoristus qui vocatur gnomicus. —

Eur. Hipp. 1223. *αἱ δ' ἐνδακοῦσαι στόμια πυριγενῆ γνάθοις*
βίᾳ φέρουσιν, . . .

ubi *ἐξάγγελος* narrat, quomodo Hippolytus perierit: ingens equos pavor incessit; frena mordentes feruntur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Cui loco similis est ille Aesch. Pr. 1009:

δακὼν δὲ στόμιον ὡς νεοζυγὴς
πῶλος βιάζει καὶ πρὸς ἡνίας μάχει . ,

Mercurius, deorum nuntius, Prometheo: instar equi frena mordentis vim adhibes lorisque repugnas.

Liberius, ut opinor, Heimsoethius *δάκνων* pro *δακὼν* posuit. —

Aesch. Eum. 131. *ὄναρ διώκεις θῆρα, κλαγγάνεις δ' ἅπερ*
κύων μέριμναν οὔποτ' ἐκλιπὼν πόνου ·,

per somnium feram persequeris et velut canis latras, qui ... haud unquam intermittit; Clytaemnestrae umbra ibi Furias incitat ad persequendum Orestem. Opus non est adverbium *οὔποτ'* referri ad praeteritum tempus. Blomfieldus vult *ἐκλείπων* pro aoristi participio *ἐκλιπὼν*, cuius equidem mutationis causam non intellego. —

Sed quoniam ex iis locis, quos attuli, usum participii attributive dicti satis apparere mihi videor, iam progrediar ad id participiorum genus, quod unum ut pertractem reliquum habeo.

h. Participia aoristi, quae substantivi loco adhibita sunt. Priusquam singula exempla enumerem, de universo hoc genere participiorum pauca praemittam. Interest enim hoc inter participium substantivi loco positum et ipsum substantivum, ut illud (aeque ac praedicati, attributi appositionisque munere fungens participium) vim et naturam verbi servet, cum et variam qualitatem id est durantem, perfectam, simpliciter incidentem actionis verbalis variis temporum formis exprimat et verbi constructionem rectione casuum servata retineat.

Quem participii usum his exemplis illustrabo:

Eur. Herc. 865. . . . *ὁ δὲ κανὼν οὐκ εἴσεται*
παῖδας οὓς ἔτικτ' ἐναίρων, . . .

cum trucidabit, nesciet suos se liberos interficere. Quin hic

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

participio aoristi *κανὼν* non praeterita actio indicetur, nemo est qui dubitet. Ad futurum autem tempus caedem liberorum referendam esse ex ipso verbo finito *εἴσεται* intellegitur. —

Eur. Alc. 734. *ἔρρων νυν αὐτὸς χἠ ξυνοικήσασα σοι,*
ἄπαιδε παιδὸς ὄντος, ὥσπερ ἄξιοι,
γηράσκετ᾽ . . .

Quamquam cod. V. B. aliique *ἔρροις* tradunt, tamen cum Nauckio et Dindorfio *ἔρρων* scripturam a scholiasta memoratam praefero, quod secundaria res verbo finito *ἔρροις* meo iudicio nimis illustraretur. Gravior enim pars sententiae continetur verbo *γηράσκετε*: abiens ipse et uxor senescite!

Eur. Alc. 497, ubi Hercules quaerit:

τίνος δ᾽ ὁ θρέψας παῖς πατρὸς κομπάζεται;

a quo se ortum esse iactat is qui equos nutrit?

Huc pertinet ille locus, ubi participium aoristi Nauckio suspectum est:

Soph. Ai. 151. . . . *καὶ πᾶς ὁ κλύων*
τοῦ λέξαντος χαίρει μᾶλλον
τοῖς σοῖς ἄχεσιν καθυβρίζων.

Mihi non probatur, quod Nauckius annotat sententiam non pati, ut genetivus *τοῦ λέξαντος* pendeat a vocabulo *μᾶλλον*; idemque Nauckius errare mihi videtur, quod aoristi participium suo loco non esse contendit. —

Eur. Iph. A. 710. *σοφός γ᾽ ὁ θρέψας χὠ διδοὺς σοφώτερος* . , sapiens erat qui educavit, sapientior qui educandum tradidit. Hoc loco quidam mutandum esse existimabant: Musgravius in *σοφωτέροις*, Nauckius in *σοφῷ τρέφειν*, nulla ut opinor necessitate coacti. Haec enim est sententia poetae: pluris esse sapientiae usum quam disciplinam sapientiae; itaque apte dicit: *ὁ διδοὺς σοφώτερος*, sapientior (educatore) erat (qui educandum tradidit sapienti educatori). Ut hic ita saepius aoristi et praesentis participium in eodem exemplo reperitur; cfr. Eur. Med. 288:

τὸν δόντα καὶ γήμαντα καὶ γαμουμένην. —

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Aesch. Suppl. 571. *καὶ τότε δὴ τίς ἦν ὁ θέλξας πολύπλαγκτον [ἀθλίαν*
οἰστροδόνητον Ἰώ;
ac tum quidem quis erat ille qui vagam infelicem oestroque agitatam Jo refocillavit?

Actionem prioris temporis huiusmodi participiis contineri non posse facile intellegitur, quod una omnino actio exprimitur. —

Aesch. Ag. 314. *νικᾶ δ' ὁ πρῶτος καὶ τελευταῖος δραμών* . , vincit autem primus et ultimus cursor, id est: ultimus ardentem facem non minus tradidit rite quam qui primus excucurrerat; de articulo non repetito cfr. Madvig. § 16, b. —

Soph. Phil. 978. . . . *ὅδ' ἦν ἄρα*
ὁ ξυλλαβών με κἀπονοσφίσας ὅπλων . ,
hic erat qui me cepit spoliavitque armis. —

Praesentis autem participia in eiusmodi exemplis adhibentur, ut res iis expressa durans et se explicans significetur. Satis erit ex permultis locis paucos memorasse:

Soph. O. T. 819. . . . *καὶ τάδ' οὔτις ἄλλος ἦν*
ἢ 'γὼ 'π' ἐμαυτῷ τάσδ' ἀρὰς ὁ προστιθείς . ,
ubi Oedipus: atque alius nemo fuit quam ego, qui mihimet has diras imprecatus sum. —

Soph. Phil. 959. *φόνον φόνου δὲ ῥύσιον τίσω τάλας*
πρὸς τοῦ δοκοῦντος οὐδὲν εἰδέναι κακόν . ,
ab eo . . , qui videbatur. —

Aesch. Choeph. 919. *μὴ 'λεγχε τὸν πονοῦντ' ἔσω καθημένη*. , Orestes dicit matri: ne argueris eum, qui laboravit. . .

Simili modo:

Eur. Andr. 694. *ὅταν τροπαῖα πολεμίων στήσῃ στρατός,*
οὐ τῶν πονούντων τοὔργον ἡγοῦνται τόδε,
ἀλλ' ὁ στρατηγὸς τὴν δόκησιν ἄρνυται , . —

Eur. Rhes. 875. *ὄλοιθ' ὁ δράσας* . .

Ultimum tandem locum aoristi participii substantivi loco usurpati afferam, quod legitur apud Sophoclem El. 198.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

δόλος ἦν ὁ φράσας, ἔρος ὁ κτείνας,
δεινὰν δεινῶς προφυτεύσαντες
μορφὰν, εἴτε οὖν θεὸς εἴτε βροτῶν
ἦν ὁ ταῦτα πράσσων . ,

chorus extremis verbis Electrae caedis monitus eam sibi repraesentat: Dolus excogitavit (caedem), Cupido patravit, horrificam horrifice formam procreantes, sive deus sive mortalium quis erat qui illud fecit.

Si poeta actionem significare voluisset durantem vel se explicantem, eum pro participiis aoristi *φράσας* et *κτείνας* praesente tempore uti debuisse ex verbo postea posito (*πράσσων*) intellegitur. Sed mihi videtur ex consilio illam durandi notionem omisisse, ut aoristo actionem magis ostenderet atque illustraret. *Προφυτεύσαντες* in numero eorum participiorum est, de quibus supra copiosius disputavi; exprimit enim rem secundariam cum actione primaria arctissime coniunctam ex eaque manantem. Quod si quis talia per coordinationem interpretaretur, contra subtilitatem elegantiamque Graecae linguae ageret.

Cum in eis quos adhuc enumeravi locis participium aoristi pro participio praesentis positum esse videri possit, sed non positum sit, in proximis exemplis nonnulla praesentis participia enumerabo atque illustrabo, quae ad aoristi participii vim accedere videantur. Qui autem accuratius rem quaesiverit, inveniet ut illic aoristi ita hic praesentis temporis participium apte usurpatum esse.

Huius igitur temporis participii usum ita Kruegerus [1]) quidem definit, ut quae eodem tempore fiant quo actio temporis finiti significentur vel ut ipsius verbis utar: „dem

[1]) Krueger, § 56, 10.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

bestimmten Tempus Gleichzeitiges.“ Probatur mihi hoc quidem, sed tamen aliquid deest ad absolutam perfectamque definitionem. Nam ipso

Praesentis participio

nihil exprimitur nisi condicio qualitasve actionis, id est durare et se explicare actionem. Temporis autem gradus vel sphaera, id est utrum de praeterito an praesenti an etiam de futuro tempore participium praesentis intellegendum sit, iudicari debet cum ex verbo finito additoque aliquo adverbio tum ex toto rerum conexu ac sensu.[1]) Itaque etiam praesentis participio exprimitur, quod iam ante actionem verbi finiti incidit, si hoc potissimum significandum videtur actionem participialem cum primaria durare, permanere seque explicare. In quo nihil refert, utrum actio participio expressa per se ipsa momentanea sit an diuturna; ut enim participio aoristi maxime diuturna exprimi potest, si singula eius momenta quasi in unum (seu primum seu ultimum) punctum contracta apparent, ita participio praesentis brevissima actio, dummodo in explicatione fingatur. Quam si auctor mere ac simpliciter incidentem fingere voluisset, participio aoristi usus esset.

Ad quem usum illustrandum ex multitudine exemplorum pauca referam, quod ex iis quae sit aoristi participii vis melius intellegitur.

i. Adduntur nonnulla praesentis participia, quae ad vim participii aoristi accedere videntur.

Eur. Alc. 380. *οἴμοι, τί δράσω δῆτα σοῦ μονούμενος;*

praesentis (non aoristi) participium positum est, quod Admetus non solum illud momentum atque punctum intuetur,

[1]) cfr. Joh. Balkenholl, de partic. usu Thucydideo, diss. inaug., Goettingae 1882 (pag. 37).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ubi Alcestis relictura est, sed quod durantem statum sibi cogitat; aoristi participium *μονωθεὶς* legitur:

ibid. 296. *κοὐκ ἂν μονωθεὶς σῆς δάμαρτος ἔστενες καὶ παῖδας ὠρφάνευες. . . .*

Eur. Phoen. 936. *καὶ ταῦτα δρῶντες ξύμμαχον κτήσεσθ' Ἄρη.*

Hic praesentis participium idem valere atque *ἐὰν* cum coniunctivo aoristi et huiusmodi locis creberrime aoristi participium reperiri satis notum est. —

Eur. Heracl. 841. *μόλις δέ πάντα δρῶντες οὐκ ἄτερ πόνων ἐτρεψάμεσθ' Ἀργεῖον ἐς φυγὴν δόρυ.*

Eur. Rhes. 296. *στείχων δ' ἄνακτος προὐξερευνητὰς ὁδοῦ ἀνθιστόρησα Θρῃκίοις προσφθέγμασι*

adiens rogavi exploratores . . . Nauckius quidem verba *στείχων δ' ἄνακτος* vitiosa esse putat; at participium *στείχων* in hac fabula mirum quotiens positum est. —

Eur. Iph. T. 470. *ναοῦ δ' ἔσω στείχοντες εὐτρεπίζετε*

Eur. Alc. 958. *στυγεῖ δὲ τοὺς τεκόντας, αὐτὸς οὐ θέλων θανεῖν* . . . odit parentes, qui ipse mortem oppetere noluit (et non vult). —

Eur. Hel. 1440. *στέλλῃ πρὸς οἴκους, ἢ μένων εὐδαιμονῇς.*

Cui simile est:

Eur. Jon. 1128. *λέξας σὺ μέν νυν, τέκνον, ἀμφήρεις μένων σκηνὰς ἀνίστη τεκτόνων μοχθήμασιν.*

Aoristi autem participium legitur

Eur. El. 226. *μείνασ' ἄκουσον, καὶ τάχ' οὐκ ἄλλως ἐρεῖς.* —

Aesch. Choeph. 1012. *φόνου δὲ κηκὶς ξὺν χρόνῳ ξυμβάλλεται, πολλὰς βαφὰς φθείρουσα τοῦ ποικίλματος* . ,

sanguinis scaturigo, quae multum coloris vestimenti vastavit (vastatque), cum tempore congruit. —

Aesch. Suppl. 621. *τοιαῦτ' ἀκούων χερσὶν Ἀργεῖος λεὼς ἔκραν' ἄνευ κλητῆρος ὡς εἶναι τάδε.*

Aesch. Pers. 548. *νῦν γὰρ πρόπασα μὲν στένει γαῖ' Ἀσιὰς ἐκκενουμένα,*

ubi senum chorus: lamentatur Asia tota vacuefacta . . .

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Aesch. Ag. 880. *τρέφει γὰρ . . . προφωνῶν*
alit enim (Orestem Strophius), qui mihi mala ancipitia praedixit. —

Aesch. Eum. 240. *ὅμοια χέρσον καὶ θάλασσαν ἐκπερῶν*
. . . πρόσειμι . . .

Aesch. Pr. 559. *. . . ὅτε τὰν ὁμοπάτριον ἔθνοις*
ἄγαγες Ἡσιόναν πείθων δάμαρτα κοινόλεκτρον .
Non recte meo iudicio fecit Dindorfius, qui *πιθὼν* textu recepit, quod libri deteriores praebent. —

Similia: ibid. 713: *χρίμπτουσα;* 722: *ὑπερβάλλουσα;* Aesch. Suppl. 918: *εὑρίσκων* etc. —

Soph. Trach. 381. *Ἰόλη ᾽καλεῖτο, τῆς ἐκεῖνος οὐδαμὰ*
βλαστὰς ἐφώνει, δῆθεν οὐδὲν ἱστορῶν . ,
ubi nuntius Deianirae: Licham haud ignorare, unde Jole orta sit, etsi ita narret (cfr. vers. 316), quasi non quaesierit.

Soph. Ai. 148. *τοιούσδε λόγους ψιθύρους πλάσσων*
εἰς ὦτα φέρει πᾶσιν Ὀδυσσεὺς ,

ibid. 1054. *ζητοῦντες . . . ἐξεύρομεν ,*

Soph. Phil. 215. *πταίων . . . βοᾷ .*

Soph. O. C. 551. *πολλῶν ἀκούων ἔν τε τῷ πάρος χρόνῳ*
τὰς αἱματηρὰς ὀμμάτων διαφθορὰς
ἔγνωκά σ᾽, ὦ παῖ Λαΐου , . .
cum ex multorum sermone mihi dudum innotuerit , . . . novi te . . Participio *ἀκοίων* nihil continetur nisi audiendi actionem esse eam, quae duret; tempus ipsum vel temporis gradus partim ex verbo finito partim ex verbis *ἐν τῷ πάρος χρόνῳ* intellegitur. —

Denique memorare volo:

Soph. Ai. 466. *. . . ἀλλὰ δῆτ᾽ ἰὼν*
πρὸς ἔρυμα Τρώων, ξυμπτεσὼν μόνος μόνοις
καὶ δρῶν τι χρηστὸν, εἶτα λοίσθιον θάνω ;
(Non est hoc ferendum, ut virtutis praemiis carens in conspectum patris veniam). Sed quid, si in Troum munimenta facto impetu solus cum solis congressus et gerens aliquid viro dignum tandem moriar?

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Participium δρῶν vertendum esse „gerens vel in gerendo“, ut patrio sermone utar, „mit der Ausführung beschäftigt, begriffen in der Ausführung“, perspicuum est. Nam si perfectam absolutamque actionem exprimere voluisset poeta, participium perfecti posuisset. Participio aoristi autem actio simpliciter incidens et in unum (sive primum sive ultimum) punctum contracta exprimitur. Ergo qui actionem durare significare vult, praesentis participio eum uti necesse est. Quodsi quis verterit: geram tandemque moriar, id est coordinatione adhibita rem interpretetur, non recte meo iudicio vertit; nam solum actio secundaria minoris momenti quam actio verbi finiti participio struitur; hic autem actionem primariam contineri verbo finito θάνω ex superioribus apparet; est enim rerum conexus: domumne repetens Aegeum mare traiciam (cfr. vers. 460) an gerens aliquid moriar hic? id est revertar an moriar? Particula εἶτα participio apposita esse mihi videtur ob eam causam, ut actionem participii non solum cum actione verbi finiti, sed iam ante eam durare seque explicare significetur. Eodem modo particula εἶτα participio praesentis adiuncta invenitur veluti:

Soph. El. 1007. οὐ γὰρ θανεῖν ἔχθιστον, ἀλλ' ὅταν θανεῖν χρῄζων τις εἶτα μηδὲ τοῦτ' ἔχῃ λαβεῖν.

Soph. O. C. 277. καὶ μὴ θεοὺς τιμῶντες εἶτα τοὺς θεοὺς μοίρᾳ ποιεῖσθε μηδαμῶς· . . .

Aesch. Pr. 777. μή μοι προτείνων κέρδος εἶτ' ἀποστέρει . ,

ubi Jo Prometheo suadenti, ne mala sibi constituta quaerat, respondet: cum commodum mihi proposueris et proponas, ne deinde me privaveris eo. Si vero participio aoristi particula εἶτα apponitur (idque multo saepius quam participio praesentis), documentum mihi esse videtur illo non per se ipso spectato prioris temporis actionem exprimi, sed eam quae uno aliquo tempore incidit. Ex particula εἶτα autem sequitur participialem actionem iam ante primariam incidisse. Hoc vero loco, ut revertar unde exii, minus apte Morstadtius

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

(Progr. 1864 p. 43) *μόνος μόνοις* in *πολλοῖς μόνος* mutavisse videtur; nam „solus cum solis“ congressus magis rei consentaneum mihi videtur quam „solus cum multis“. Nam facile Aias a multitudine opprimeretur nulla re gesta; accedit, quod poetae tragici eiusmodi annominationes valde amant iisque student; satis erit memorasse:

κοινὸς ἐν κοινοῖσι ibid. 267,
μόνος μόνου ibid. 1283,
μόνος ἐν μόνοισι Eur. Andr. 1221,
μόνη μόνοις Eur. Med. 513

et alia. — Sed haec satis esse videntur propter notitiam rei.

Jam si eos locos respicimus quos enumeravi, quibus omnibus participio aoristi temporis ad actionem primariam verbo finito expressam secundaria actio adicitur, quae non prior sit quam illa, huius usus ut Rieckherum[1]) sequar duplex ratio cogitari potest, ut aut ex vi ac natura aoristi aut ex vi atque natura eorum verborum, quae cum aoristo ita struantur, regula derivari possit. Is igitur hanc vim aoristi negat veterumque (grammaticorum) disciplinam sequitur, qui omnes prius tempus participio aoristi significari putant. Ei autem, qui hac aetate arte grammatica florent, participio aoristi actionem incidentem exprimi volunt nulla alia admixta sententia. Quorum mihi ipsi sententia maxime probatur. Eius enim regulae auxilio omnia exempla facillime explicari possunt neque illa complicata atque contorta ratione interpretandi opus est. Solo igitur indicativo modo aoristi augmentoque affixo praeterita actio significatur. Participio autem (et infinitivo ceterisque modis), quod augmento caret, non gradus qui dicitur temporis (praesens, futurus,

[1]) Rieckher, Progr. I, pag. 18.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

praeteritus), sed condicio qualitasve actionis indicatur eaque intellegitur (ut in praesenti tempore durans, in perfecto perfecta peractaque ad finem, ita) in aoristo instar puncti incidens. Sed non est hoc ita intellegendum, ut sola incidens actio participio aoristi contineri possit, praeterita priorque ad verbi finiti actionem primariam eo adiungi nequeat; sunt enim longe plurima haec exempla. Sed hoc non in vi ac natura aoristi positum est, sed vel ex tempore verbi finiti vel ex toto rerum conexu ac sensu apparet. Participium enim, ita fere Curtius [1]) docet, natura et origine esse adiectivum actionemque eo ad actionem referri. Atque verbo finito quidem primariam actionem exprimi, secundariam autem participio. Quae si cum illa duret atque permaneat, παρατακτικῶς praesentis temporis participio esse exprimendam; si explicatura se significanda sit, futuro tempore opus esse; perfecto, si quid ad actionem primariam perfectum referatur. Si vero non durans, non perfecta, non futura condicio, sed punctum quoddam et momentum significandum sit, participio aoristi utendum esse. At nos quidem, quod punctum ad actionem aliam fixum referatur, solere ante illam positum putare. At accuratius deliberanti praeteritam actionem participio aoristi nullam significari. Sed sive ex consuetudine narrantium sive ex vi indicativi (mutuata) facile sequi, ut cum participio aoristi sententia praeteritae actionis soleat coniungi. —

Jam satis quod mihi proposueram participio aoristi non solum prioris, sed etiam eiusdem temporis actionem significari demonstravisse mihi videor. Rectissime igitur se habet, quod Akenius [2]) ita fere docet: in constructione participiali participio aoristi ea quae ante actionem verbi finiti facta sunt significantur ob eam causam, quod cum actio se-

---

[1]) Curtius, Erläut. zu m. gr. Schulgramm. pag. 189.

[2]) Aken, Tempora u. Modi im Griech. (1. Hälfte), Güstrow 1858 (pag. 6).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

cundaria puncti instar exprimatur idem tempus et si ita dicere licet conduratio teneri non potest, ita ut punctum quod vocant ipsum in praeteritam condicionem recedat (perfecti enim participio perfecta duransque condicio exprimeretur). Alia sententia admitti non potest, praesertim cum hoc solo participio illud solum probabile praeceptum de modalibus formis eludi non possit. Accedit, quod illam vim non solam habet. Apud Homerum enim saepissime idem tempus significat quod actio primaria; veluti:

Od. 3, 304: *ἐμήσατο οἴκαδι λυγρὰ, κτείνας Ἀτρείδην.*

ibid. 316; 4, 438; Pl. Protg. 345 B *πράξας.*

Phaed. 76. D. Idemque in prosa oratione coincidentia duo puncta significat, ut:

γελάσας εἶπε (non: „nachdem").

Phaed. 60. B. *εὖ γ' ἐποίησας ἀναμνήσας με.*

Et potest participium praesentis facta ante actionem primariam significare:

Xen. Hell. 2, 4, 25: *προνομὰς ποιούμενοι καὶ λαμβάνοντες ξύλα καὶ ὄπωραν πάλιν ἐκάθευδον ἐν Πειραιεῖ.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf